Giuseppe è, quindi, *l'uomo giusto*, capace di affidarsi al sogno di Dio portandone avanti le promesse. È il *custode* discreto e premuroso, che sa farsi carico delle persone e delle situazioni che la vita ha affidato alla sua responsabilità. È l'*educatore* che – senza pretendere nulla per sé – diventa padre grazie al suo esserci, alla sua capacità di accompagnare, di far crescere la vita e trasmettere un *lavoro*. Sappiamo quanto quest'ultima dimensione, a cui è legata la festa di oggi, sia importante. Proprio al lavoro, infatti, è strettamente legata la dignità della persona: non al denaro, né

* Die 1 Maii 2018.

alla visibilità o al potere, ma al lavoro. Un lavoro che dia modo a ciascuno, qualunque sia il suo ruolo, di generare quella imprenditorialità intesa come «*actus personae*»,[1] dove la persona e la sua famiglia restano più importanti dell'efficienza fine a sé stessa.

A ben vedere, dalla falegnameria di Nazareth alla redazione di *Avvenire*, il passo non è poi così lungo!

Certamente, nella vostra «cassetta degli attrezzi» oggi ci sono strumenti tecnologici che hanno modificato profondamente la professione, e anche il modo stesso di sentire e pensare, di vivere e comunicare, di interpretarsi e relazionarsi. La cultura digitale vi ha chiesto una riorganizzazione del lavoro, insieme con una disponibilità ancora maggiore a collaborare tra voi e ad armonizzarvi con le altre testate che fanno capo alla Conferenza Episcopale Italiana: l'Agenzia *Sir*, *Tv2000* e il Circuito radiofonico *InBlu*. Analogamente a quanto sta avvenendo nel settore comunicazione della Santa Sede, la convergenza e l'interattività consentite dalle piattaforme digitali devono favorire sinergie, integrazione e gestione unitaria. Questa trasformazione richiede percorsi formativi e aggiornamento, nella consapevolezza che l'attaccamento al passato potrebbe rivelarsi una tentazione perniciosa. Autentici servitori della tradizione sono coloro che, nel farne memoria, sanno discernere i segni dei tempi[2] e aprire nuovi tratti di cammino.

Tutto questo, probabilmente, fa già parte del vostro impegno quotidiano all'interno di uno sviluppo tecnologico che ridisegna a livello globale la presenza dei *media*, il possesso dell'informazione e della conoscenza. In questo scenario, la Chiesa sente di non poter far mancare la propria voce, per essere fedele alla missione che la chiama ad annunciare a tutti il Vangelo della misericordia. I *media* ci offrono potenzialità enormi per contribuire, con il nostro servizio pastorale, alla cultura dell'incontro.

Per mettere a fuoco tale missione, entriamo un momento insieme nella bottega del falegname; torniamo alla scuola di San Giuseppe, dove la comunicazione è ricondotta a verità, bellezza e bene comune.

Come ho avuto occasione di osservare, oggi «la velocità dell'informazione supera la nostra capacità di riflessione e di giudizio e non permette un'espressione di sé misurata e corretta».[3] Anche come Chiesa siamo esposti

[1] Cfr Enc. *Caritas in veritate*, 41.
[2] Cfr *Gaudium et spes*, 11.
[3] *Messaggio per la 48ª Giornata Mondiale delle Comunicazioni Sociali*, 1 giugno 2014.

all'impatto e all'influenza di una cultura della fretta e della superficialità: più che l'esperienza, conta ciò che è immediato, a portata di mano e può essere subito consumato; più che il confronto e l'approfondimento, si rischia di esporsi alla pastorale dell'applauso, a un livellamento del pensiero, a un disorientamento diffuso di opinioni che non si incontrano.

Il falegname di Nazareth ci richiama all'urgenza di ritrovare un senso di sana lentezza, di calma e pazienza. Con il suo silenzio ci ricorda che tutto ha inizio dall'ascolto, dal trascendere se stessi per aprirsi alla parola e alla storia dell'altro.

Per noi il silenzio implica due cose. Da una parte, non smarrire le *radici culturali*, non lasciare che si deteriorino. La via per averne cura è quella di ritrovarci sempre nuovamente nel Signore Gesù, fino a fare nostri i suoi sentimenti di umiltà e tenerezza, di gratuità e compassione. Dall'altra parte, una Chiesa che vive della contemplazione del volto di Cristo non fatica a riconoscerlo nel *volto dell'uomo*. E da questo volto sa lasciarsi interpellare, superando miopie, deformazioni e discriminazioni.

Il *dialogo* vince il sospetto e sconfigge la paura. Il dialogo mette in comune, stabilisce relazioni, sviluppa una cultura della reciprocità. La Chiesa, mentre si pone come artefice di dialogo, dal dialogo viene purificata e aiutata nella stessa comprensione della fede.

A vostra volta, cari amici di *Avvenire*, custodite l'eredità dei padri. Non stancatevi di *cercare con umiltà la verità*, a partire dalla frequentazione abituale della Buona Notizia del Vangelo. Sia questa la linea editoriale, a cui legare la vostra integrità: la professione vi reclama tali, tanto alta è la sua dignità. Avrete, allora, luce per il discernimento e parole vere per cogliere la realtà e chiamarla per nome, evitando di ridurla a una sua caricatura.

Lasciatevi interrogare da quello che accade. Ascoltate, approfondite, confrontatevi. State lontani dai vicoli ciechi in cui si dibatte chi presume di aver già capito tutto. Contribuite a superare le contrapposizioni sterili e dannose. Con la testimonianza del vostro lavoro fatevi compagni di strada di chiunque si spende per la giustizia e la pace.

Giuseppe, uomo del silenzio e dell'ascolto, è anche l'uomo che nella notte non perde la capacità di sognare, di fidarsi e di affidarsi. Il sogno di Giuseppe è visione, coraggio, obbedienza che muove il cuore e le gambe. Questo Santo è icona del nostro popolo santo, che in Dio riconosce il riferimento che abbraccia con senso unitario tutta la vita.

Tale fede coinvolge nell'azione e suscita buone abitudini. È sguardo che accompagna processi, trasforma i problemi in opportunità, migliora e costruisce la città dell'uomo. Vi auguro di saper affinare e difendere sempre questo sguardo; di superare la tentazione di non vedere, di allontanare o escludere. E vi incoraggio a non discriminare; a non considerare nessuno come eccedente; a non accontentarvi di quello che vedono tutti. Nessuno detti la vostra agenda, tranne i poveri, gli ultimi, i sofferenti. Non ingrossate le fila di quanti corrono a raccontare quella parte di realtà che è già illuminata dai riflettori del mondo. Partite dalle periferie, consapevoli che non sono la fine, ma l'inizio della città.

Come avvertiva Paolo VI, i giornali cattolici non devono «dare delle cose che fanno impressione o che fanno clientela. Noi dobbiamo fare del bene a quelli che ascoltano, dobbiamo educarli a pensare, a giudicare».[4] Il comunicatore cattolico rifugge le rigidità che soffocano o imprigionano. Non mette «in gabbia lo Spirito Santo», ma cerca di «lasciarlo volare, di lasciarlo respirare nell'animo».[5] Fa sì che mai la realtà ceda il posto all'apparenza, la bellezza alla volgarità, l'amicizia sociale alla conflittualità. Coltiva e rafforza ogni germoglio di vita e di bene.

Le difficoltà non vi blocchino: basta tornare un momento al clima che 50 anni fa avvolse la gestazione del progetto di *Avvenire* per ricordare quante perplessità e resistenze, quante diffidenze e contrarietà cercarono di frenare la volontà di Paolo VI circa la nascita di un quotidiano cattolico a carattere nazionale.

Giuseppe, infine, è il Santo *custode*, l'uomo della *concretezza* e della *prossimità*. In fondo, proprio in questa disponibilità a prendersi cura dell'altro sta il segreto della sua paternità, ciò che lo ha reso davvero padre. L'esistenza dello sposo della Vergine è richiamo e sostegno a una Chiesa che non accetta la riduzione della fede alla sfera privata e intima, né si rassegna a un relativismo morale che disimpegna e disorienta.

Possiate anche voi esprimere una Chiesa che non guarda la realtà né da fuori né da sopra, ma si cala dentro, si mescola, la abita e – in forza del servizio che offre – suscita e dilata la speranza di tutti.

Vi incoraggio a custodire lo spessore del presente; a rifuggire l'informazione di facile consumo, che non impegna; a ricostruire i contesti e

[4] *Discorso agli operatori delle comunicazioni sociali*, 27 novembre 1971.

[5] *Ibid.*

spiegare le cause; ad avvicinare sempre le persone con grande rispetto; a scommettere sui legami che costituiscono e rafforzano la comunità.

Nulla come la misericordia crea vicinanza, suscita atteggiamenti di prossimità, favorisce l'incontro e promuove una coscienza solidale. Farsene portatori è la strada per contribuire al rinnovamento della società nel segno del bene comune, della dignità di ciascuno e della piena cittadinanza.

C'è bisogno di dar voce ai valori incarnati nella memoria collettiva e alle riserve culturali e spirituali del popolo; di contribuire a portare nel mondo sociale, politico ed economico la sensibilità e gli orientamenti della Dottrina sociale della Chiesa, essendone, noi per primi, fedeli interpreti e testimoni.

Non abbiate paura di essere coinvolti. Le parole – quelle vere – pesano: le sostiene solo chi le incarna nella vita. La testimonianza, del resto, concorre alla vostra stessa affidabilità. Una testimonianza appassionata e gioiosa. È l'augurio conclusivo che vi rivolgo, facendo mie ancora una volta parole del Beato Paolo VI: « Occorre l'amore alla causa: se non si ama questa causa non combineremo che poco, ci stancheremo subito, ne vedremo le difficoltà, ne vedremo anche direi gli inconvenienti, le polemiche, i debiti [...] Dobbiamo avere un grande amore alla causa, dire che crediamo in quel che stiamo facendo e vogliamo fare ».[6]

Di questo amore, vi chiedo, sia parte anche la vostra preghiera per me. Grazie!

[6] *Ibid.*

V

Ad participes Conventus internationalis a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae provecti.*

Buongiorno a tutti!

Io ho pensato se fare un discorso, ben fatto, bello... Ma poi mi è venuto in mente di parlare a braccio, di dire le cose che sono adatte per questo momento.

La chiave di quello che dirò è quello che ha chiesto il Cardinale [Prefetto della Congregazione]: criteri autentici per discernere quello che sta succedendo. Perché davvero, oggi succedono tante cose che, per non perdersi in questo mondo, nella nebbia della mondanità, nelle provocazioni, nello spirito di guerra, tante cose, abbiamo bisogno di criteri autentici che ci guidino. Che ci guidino nel discernimento.

Poi, c'è un'altra cosa: che questo Spirito Santo è una calamità [ride, ridono], perché non si stanca mai di essere creativo! Adesso, con le nuove forme di vita consacrata, davvero è creativo, con i carismi... È interessante: è l'Autore della diversità, ma allo stesso tempo il Creatore dell'unità. Questo è lo Spirito Santo. E con questa diversità di carismi e tante cose, Lui fa l'unità del Corpo di Cristo, e anche l'unità della vita consacrata. E anche questa è una sfida.

Mi sono domandato: quali sono le cose che lo Spirito vuole si mantengano forti nella vita consacrata? E il pensiero è volato, è andato, ha girato..., e mi veniva sempre [in mente] il giorno che sono andato a San Giovanni Rotondo: non so perché, ma ho visto lì tanti consacrati e consacrate che lavorano... e ho pensato a cosa ho detto lì, alle «tre p» che ho detto lì. E mi sono detto: queste sono colonne che rimangono, che sono permanenti nella vita consacrata. La *preghiera*, la *povertà* e la *pazienza*. E ho scelto di parlarvi di questo: cosa penso che sia la preghiera nella vita consacrata, e poi la povertà e la pazienza.

La *preghiera* è tornare sempre alla prima chiamata. Qualsiasi preghiera, forse una preghiera nel bisogno, ma sempre è ritornare a quella Persona che mi ha chiamato. La preghiera di un consacrato, di una consacrata è

* Die 4 Maii 2018.

tornare dal Signore che mi ha invitato a esserGli vicino. Tornare da Lui che mi ha guardato negli occhi e mi ha detto: «Vieni. Lascia tutto e vieni» – «Ma, io vorrei lasciare la metà...» (di questo parleremo a proposito della povertà) – «No, vieni. Lascia tutto. Vieni». E la gioia in quel momento di lasciare il tanto o il poco che noi avevamo. Ognuno sa cosa ha lasciato: lasciare la mamma, il papà, la famiglia, una carriera... È vero che qualcuno cerca la carriera «dentro», e questo non è buono. In quel momento trovare il Signore che mi ha chiamato a seguirLo da vicino. Ogni preghiera è tornare a questo. E la preghiera è quello che fa che io lavori per *quel* Signore, non per i miei interessi o per l'istituzione nella quale lavoro, no, per il Signore. C'è una parola che si usa tanto, è stata usata troppo e ha perso un po' di forza, ma indicava bene questo: *radicalità*. A me non piace usarla perché è stata troppo usata, ma è questo: lascio tutto per Te. È il sorriso dei primi passi... Poi sono arrivati dei problemi, tanti problemi che tutti noi abbiamo avuto, ma sempre si tratta di tornare all'incontro con il Signore. E la preghiera, nella vita consacrata, è l'aria che ci fa respirare quella chiamata, rinnovare quella chiamata. Senza quest'aria non potremmo essere buoni consacrati. Saremmo forse buone persone, cristiani, cattolici che lavorano in tante opere della Chiesa, ma la consacrazione tu devi rinnovarla continuamente lì, nella preghiera, in un incontro con il Signore. «Ma sono indaffarato, sono indaffarata, ho tante cose da fare...». Più importante è questo. Vai a pregare. E poi c'è quella preghiera che ci mantiene durante la giornata alla presenza del Signore. Ma comunque la preghiera. «Ma io ho un lavoro troppo rischioso che mi prende tutta la giornata...». Pensiamo a una consacrata dei nostri giorni: Madre Teresa. Madre Teresa andava anche a «cercarsi dei problemi», perché era come una macchina per cercarsi dei problemi, perché si metteva di qua, di là, di là... Ma le due ore di preghiera davanti al Santissimo, nessuno gliele toglieva. «Ah, la grande Madre Teresa!». Ma fai come faceva lei, fa' lo stesso. Cerca il tuo Signore, Colui che ti ha chiamato. La preghiera. Non solo al mattino... Ognuno deve cercare come farla, dove farla, quando farla. Ma farla sempre, pregare. Non si può vivere la vita consacrata, non si può discernere ciò che sta accadendo senza parlare con il Signore.

Non vorrei parlare oltre su questo, ma avete capito bene, credo. Preghiera. E la Chiesa ha bisogno di uomini e donne che preghino, in questo momento di tanto dolore nell'umanità.

La seconda « p » è la *povertà*. Nelle Costituzioni, Sant'Ignazio a noi Gesuiti aveva scritto questo – ma non era una cosa originale sua, credo, l'aveva presa dai Padri del Deserto, forse –: « La povertà è la madre, è il muro di contenimento della vita consacrata ». È « madre ». Interessante: lui non dice la castità, che forse è più collegata alla maternità, alla paternità, no: la povertà è madre. Senza povertà non c'è fecondità nella vita consacrata. Ed è « muro », ti difende. Ti difende dallo spirito della mondanità, certamente. Noi sappiamo che il diavolo entra dalle tasche. Tutti noi lo sappiamo. E le piccole tentazioni contro la povertà sono ferite all'appartenenza al corpo della vita consacrata. Povertà secondo le regole, le costituzioni di ogni congregazione: non è la stessa, la povertà di una congregazione o dell'altra. Le regole dicono: « La nostra povertà va da questa parte », « la nostra va da quella », ma sempre lo spirito di povertà c'è. E questo non si può negoziare. Senza povertà noi non potremo mai discernere bene cosa sta accadendo nel mondo. Senza lo spirito di povertà. « Lascia tutto, dai ai poveri », ha detto il Signore a quel giovane. E quel giovane siamo tutti noi. « Ma io no, padre, non ho tanta fortuna [ricchezza]... ». Si, ma qualcosa, qualche attaccamento ce l'hai! Il Signore ti chiede quello: quello sarà « l'Isacco » che tu devi sacrificare. Nudo nell'anima, povero. E con questo spirito di povertà il Signore ci difende – ci difende! – da tanti problemi e da tante cose che cercano di distruggere la vita consacrata.

Ci sono tre scalini per passare dalla consacrazione religiosa alla mondanità religiosa. Sì, anche religiosa; c'è una mondanità religiosa; tanti religiosi e consacrati sono mondani. Tre scalini. Primo: i soldi, cioè la mancanza di povertà. Secondo: la vanità, che va dall'estremo di farsi « pavone » a piccole cose di vanità. E terzo: la superbia, l'orgoglio. E da lì, tutti i vizi. Ma il primo scalino è l'attaccamento alle ricchezze, l'attaccamento ai soldi. Vigilando su quello, gli altri non vengono. E dico alle ricchezze, non solo ai soldi. Alle ricchezze. Per poter discernere cosa sta succedendo, ci vuole questo spirito di povertà. Un compito a casa è: come è la mia povertà? Guardate nei cassetti, nei cassetti delle vostre anime, guardate nella personalità, guardate nella Congregazione... Guardate come va la povertà. È il primo scalino: se noi custodiamo quello, gli altri non vengono. È il muro che ci difende dagli altri, è la madre che ci fa più religiosi e ci fa mettere tutta la nostra ricchezza nel Signore. È il muro che ci difende da quello sviluppo mondano che tanto danneggia ogni consacrazione. La povertà.

E terzo, la *pazienza*. «Ma, padre, cosa c'entra la pazienza, qui?». È importante la pazienza. Noi abitualmente non ne parliamo, ma è molto importante. Guardando Gesù, la pazienza è quello che ha avuto Gesù per arrivare fino alla fine della sua vita. Quando Gesù, dopo la Cena, va all'Orto degli Ulivi, possiamo dire che in quel momento in modo speciale Gesù «entra in pazienza». «Entrare in pazienza»: è un atteggiamento di ogni consacrazione, che va dalle piccole cose della vita comunitaria o della vita di consacrazione, che ognuno ha, in questa varietà che fa lo Spirito Santo... Dalle piccole cose, dalle piccole tolleranze, dai piccoli gesti di sorriso quando ho voglia di dire delle parolacce..., fino al sacrificio di se stessi, della vita. Pazienza. Quel «portare sulle spalle» (*hypomoné*) di San Paolo: San Paolo parlava di «portare sulle spalle», come virtù cristiana. Pazienza. Senza pazienza, cioè senza capacità di patire, senza «entrare in pazienza», una vita consacrata non può sostenersi, sarà a metà. Senza pazienza, per esempio, si capiscono le guerre interne di una congregazione, si capiscono. Perché non hanno avuto la pazienza di sopportarsi l'un l'altro, e vince la parte più forte, non sempre la migliore; e anche quella che è vinta, neppure è la migliore, perché è impaziente. Senza pazienza, si capiscono questi carrierismi nei capitoli generali, questo fare le «cordate» prima... per fare due esempi. Voi non sapete la quantità di problemi, di guerre interne, di liti che arrivano da Mons. Carballo! [Segretario della Congregazione]. Ma lui è della Galizia, lui è capace di sopportare questo! Pazienza. Sopportarsi l'un l'altro.

Ma non solo pazienza nella vita comunitaria: pazienza davanti alle sofferenze del mondo. Portare sulle spalle i problemi, le sofferenze del mondo. «Entrare in pazienza», come Gesù è entrato in pazienza per consumare la redenzione. Questo è un punto-chiave, non solo per evitare queste liti interne che sono uno scandalo, ma per essere consacrato, per poter discernere. La pazienza.

E anche pazienza davanti ai problemi comuni della vita consacrata: pensiamo alla scarsità di vocazioni. «Non sappiamo cosa fare, perché non abbiamo vocazioni... Abbiamo chiuso tre case...». Questa è lamentela di ogni giorno, voi l'avete sentito, sentito nelle orecchie e sentito nel cuore. Non vengono le vocazioni. E quando non c'è questa pazienza... Questo che dico adesso è accaduto, accade: io conosco almeno due casi, in un Paese troppo secolarizzato, che riguardano due congregazioni e due rispettive province. La provincia ha incominciato quel cammino che è pure un cammino mondano,

dell'«*ars bene moriendi*», l'atteggiamento per morire bene. E cosa significa questo in quella provincia, in quelle due province di due congregazioni diverse? Chiudere l'ammissione al noviziato, e noi che siamo qui invecchiamo fino alla morte. E la congregazione in quel posto è finita. E queste non sono favole: sto parlando di due province maschili che hanno fatto questa scelta; province di due congregazioni religiose. Manca la pazienza e finiamo con l'«*ars bene moriendi*». Manca la pazienza e non vengono le vocazioni? Vendiamo e ci attacchiamo ai soldi per qualsiasi cosa possa succedere in futuro. Questo è un segnale, un segnale che si è vicini alla morte: quando una Congregazione incomincia ad attaccarsi ai soldi. Non ha la pazienza e cade nella seconda «p», nella mancanza di povertà.

Posso domandarmi: questo che è accaduto in quelle due province che hanno fatto l'opzione dell'«*ars bene moriendi*», accade nel mio cuore? La mia pazienza è finita e vado avanti sopravvivendo? Senza pazienza non si può essere magnanimi, non si può seguire il Signore: ci stanchiamo. Lo seguiamo fino a un certo punto e alla prima o alla seconda prova, ciao. Scelgo l'«*ars bene moriendi*»; la mia vita consacrata è arrivata fino a qui, qui chiudo il cuore e sopravvivo. È in stato di grazia, sì, certamente. «Padre, non andrò all'inferno?» No, forse non andrai. Ma la tua vita? Hai lasciato la possibilità di essere padre e madre di famiglia, di avere la gioia dei figli, dei nipotini, tutto questo, per finire così? Questa «*ars bene moriendi*», è l'eutanasia spirituale di un cuore consacrato che non ce la fa più, non ha il coraggio di seguire il Signore. E non chiama...

Ho preso come punto di partenza per parlare di questo la scarsità delle vocazioni: questo amareggia l'anima. «Non ho discendenza», era il lamento del nostro padre Abramo: «Signore, le mie ricchezze saranno ereditate da uno straniero». Il Signore gli ha detto: «Abbi pazienza. Avrai un figlio» – «Ma a 90 anni?», e la moglie dietro la finestra che era come – scusatemi – come le donne: spiava dalla finestra – ma è una qualità delle donne, questa, sta bene, non sta male –; sorrideva, perché pensava: «Ma io, a 90 anni? E mio marito, quasi 100, avremo un figlio?». «Pazienza», ha detto il Signore. Speranza. Avanti, avanti, avanti.

State attenti su queste tre «p»: *la preghiera, la povertà e la pazienza*. State attenti. E credo che piaceranno al Signore scelte – mi permetto la parola che non mi piace – scelte *radicali* in questo senso. Siano personali, siano comunitarie. Ma scommettere su questo.

Vi ringrazio per la pazienza che avete avuto per ascoltare questo sermone [ridono, applausi]. Vi ringrazio. E vi auguro fecondità. Mai si sa per quali vie passa la mia fecondità, ma se tu preghi, se sei povero, se sei paziente, stai sicuro che sarai fecondo. Come? Il Signore te lo farà vedere «dall'altra parte»; ma è la ricetta per essere fecondo. Sarai padre, sarai madre: la fecondità. È quello che auguro alla vita religiosa, di essere fecondi.

Grazie! Continuate a studiare, a lavorare, a fare delle proposte buone, ma che sempre siano con quello sguardo che Gesù vuole. E quando penserete alla prima «p», pensate a me e pregate per me. Grazie!

Adesso preghiamo la Madonna: «Ave o Maria, ...»

[Benedizione]

Buona giornata!

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

NEAPOLITANA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Aloisiae a SS.mo Sacramento (in saeculo: Mariae Velotti) Fundatricis Instituti Sororum Franciscalium Adoratricum Sanctae Crucis (1826-1886)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Crucem tuam adoramus, Domine, et sanctam resurrectionem tuam laudamus et glorificamus: ecce enim propter lignum venit gaudium in universo mundo ».

Ad gloriosam Domini crucem adorandam invitatio, universa Ecclesia per divinam liturgiam sollemniter personans, in Serva Dei Maria Aloisia a SS.mo Sacramento (in saeculo: Maria Velotti) promptam plenamque assensionem habuit. Vera Sancti Francisci Assisiensis discipula, ardentis Crucifixi amoris signa in corde portavit. Huiusce dilectionis specimen fuit Sororibus Franciscalibus Adoratricibus Sanctae Crucis, filiabus suis spiritalibus, quas tum exemplo tum verbo instituit saepe repetens: « Iesu Crucem, cuius nomen fertis, amate, ad pectum premite, frequenter osculamini ».

Serva Dei in loco vulgo *Soccavo,* dioecesis Puteolanae, die 16 mensis Novembris anno 1826 a Francisco, operario rustico, ac Teresia Napoletano nata est. Eodem die in ecclesia paroeciali Sanctorum Petri et Pauli est baptizata eique nomen inditum Mariae. Tenera aetate utrumque parentem amisit. Huiusmodi orbitas hospitio in oppido *Sirico di Nola*, quo illam matertera accepit, ex parte est mitigata. Serva Dei illic ad mensam eucharisticam primum accessit ac deinde, die 29 mensis Aprilis anno 1843, Confirmationis sacramentum recepit. Ad familiares virtutes fidemque educata, in dies erat humilior, oboedientior et sedulior. Domum autem illam, mutata vero voluntate materterae, quae vexationibus angustiisque eandem afficere coeperat, relinquere est inducta. Piis a coniugibus Sabatino, senibus

ac liberis non egentibus, tecto ac domo est invitata. Annis illis seraphica perfectionis forma est magnopere tracta: die 2 mensis Februarii anno 1853 Tertii Ordinis Sancti Francisci vestem induit atque die 22 mensis Februarii anno 1854, nomine sumpto Mariae Aloisiae Paschali a SS.mo Sacramento, professionem emisit.

Dei Servae, quae veluti monialis domestica aetatem revera agebat, religiosa vocatio in pluribus vitae communis experientiis est paulatim progressa. Postquam Neapoli intra Franciscanas Reformatas, in vico *Capodimonte* commorantes, ac Carmelitides Discalceatas monasterii nuncupati *della Torre* vixerat, Maria Aloisia, humana maturitate spiritalique adepta, se ad sociales patriae necessitates sublevandas vocari, ut illuc certa caritatis signa spargeret, intellegit. Quapropter anno 1868 illa, Venerabilis Michaëlis Angeli a Mariliano, Fratris Minoris, patrocinio suffulta, in pago *Miano* ad pauperrimorum levamentum primum opus incepit. Anno 1870 Serva Dei, una cum prima sua socia Maria Francisca, in Neapolitano vico cognominato *Materdei* oratorium ac pro puellis orphanis egenisque mulieribus hospitium aperuit.

His in omnibus illius fortitudo, caritatis zelus, generosa erga ultimos deditio refulserunt necnon, recentibus Ordinum religiosorum suppressionibus neglectis, perennis spiritus Franciscalis vigor. In spiritalibus et apostolicis eiusmodi adiunctis Maria Aloisia, pura ac magna fide animata, novae familiae religiosae, quae annis 1877-1879 definitivam formam assumpsit, fundamenta iecit.

Mulier simplex, sed in crucis arte exercitata, doloris, quam Dominus acerbis crebrisque infirmitatibus eamdem impertire non defuit, salvificum sensum intellegit. Illa, etsi mysticis donis ornata, in altissima humilitate permansit, se prudentium moderatorum spiritalium praeceptis necnon Ordinis Fratrum Minorum antistitum, inter quos Venerabilis Bernardinus a Portu Gruario, committens. Soror Maria Aloisia Dei voluntatem semper quaesivit, summam fiduciam in Divina Providentia habuit, firma laetaque spe animata. Plena, quamvis illitterata, fuit evangelicae sapientiae, qua exclamabat: «Omni tempore mementote pacem habere Iesu vultum in cruce derelicti».

Anno 1884 Instituti Domus Mater Casauream, in locum paternis S. Ludovici Palmentieri aedibus finitimum Hospitium S. Mariae nuncupatum, est translata. Interea Servae Dei, quae usque ab anno 1880 sella rotali vehi cogebatur, salutis condiciones in peius sunt mutatae. Die 3 mensis Septembris anno 1886 Dei Famula, occursum Domini hilari vultu exspec-

tans, mortem obiit. Cuius exsequiae maxima vulgi frequentia universaque animorum commotione postero die sunt peracta.

Sanctitatis fama, qua Serva Dei in vita et post mortem floruit, effecit ut a die 26 mensis Septembris anno 1927 ad diem 22 mensis Decembris anno 1936 apud Curiam Archiepiscopalem Neapolitanam instrueretur Processus Informativus, quem Inquisitio dioecesana Suppletiva a die 2 mensis Octobris anno 2000 ad diem 14 mensis Martii anno 2001 est secuta. Quorum validitas iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum Decreto diei 14 mensis Decembris anno 2007 est agnita. *Positione* confecta, die 12 mensis Aprilis anno 2011 facta est Sessio Consultorum Historicorum; dein die 28 mensis Octobris anno 2014 Consultorum Theologorum Congressus prospero cum exitu locum habuit. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 19 mensis Ianuarii anno 2016, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, professi sunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Aloisiae a SS.mo Sacramento* (*in saeculo: Mariae Velotti*) *Fundatricis Instituti Sororum Franciscalium Adoratricum S. Crucis, in casu et ad effectum de quo agitur*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Ianuarii a.D. 2016.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

AQUISGRANENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Clarae Fey Fundatricts Instituti Sororum a Paupere Infante Iesu (1815-1894)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Clara Fey, Fundatrix Instituti Sororum a Paupere Infante Iesu, die 11 mensis Aprilis anno 1815 Aquisgrani in Germania nata est. Quinto anno aetatis suae patre orbata, puella in familia sua primis studiis incubuit domesticisque quoque officiis operam dedit.

Sua iam iuvenili aetate sentiit necessitudinem, ut pueritiae atque iuventuti, quam in civitate Aquisgranensi eo tempore, quod primae industrializationis dicitur, saepe vidit esse neglectam et derelictam, adiuvandae fovendaeque et instituendae propriam vitam impenderet. Pariter sibi innotuit se esse vocatam ad vitam religiosam ducendam. Hac duplici ratione anno 1844 domum familiae suae reliquit et Congregationem Sororum a Paupere Infante Iesu fundavit, quam et Ordinarius loci, Archiepiscopus nempe Coloniensis, approbatione ecclesiastica munivit. Haec fundatio religiosa prima fuit in Germania post vicissitudines dominationis napoleonicae.

Nova Congregatio religiosa varias in partes Germaniae, Austriae, Luxemburgi mox diffusa est aperiens scholas et orphanotrophia. Quibusdam autem post annis conflictatio vehemens inter Statum et Ecclesiam Catholicam, quam vulgo «Kulturkampf» vocant, vitae ecclesiasticae in Prussia necnon in nonnullis aliis Germaniae regionibus damna ingentia intulit et Instituta vitae consecratae gravissimum in discrimen adduxit. Proinde etiam Sorores a Paupere Infante Iesu sedem generalem Congregationis e Prussia in Nederlandiam transferre coactae sunt, cum in Belgio et in Magna Britannia in operibus suis perseverare possent. Postquam anno 1887 in patriam redierunt, anno sequenti Claram Fey denuo Moderatricem Generalem elegerunt, quod officium tenuit inde ab anno 1850 usque ad finem vitae. Quae Venerabilis Fundatrix die 8 mensis Maii anni 1894 in vico v.d. *Simpelveld* in Nederlandia ad vitam aeternam transmigravit. Anno autem 1991 eius virtutes heroicae a Summo Pontifice S. Ioanne Paulo II declaratae sunt.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum miram quandam sanationem cuiusdam modo natae

puellulae subiecit, quae anno 2007 Dusseldorpii in Germania evenit. Die 8 mensis Augusti illius anni puellula post gestationem ordinariam partu caesareo nata est, urgenter adhibito interventu medico ob membranarum praematuram rupturam. Puellula statim gravia signa depressionis functionis cardiacae et respiratoriae, palloris cutis, diffusae hypotoniae, defectus denique respirationis et motus musculorum necnon multarum aliarum pathologiarum ostendit. Licet statim actiones ad redanimationem suscitandam inceptae essent, tamen cordis frequentia omnino impar evadit. Propterea puellula traducta est in valetudinarii puerorum graviorum curationum partem ubi magni discriminis diagnosis prolata.

Quaedam Soror eiusdem Ordinis a Venerabili Serva Dei fundati, quae suum ministerium pastorale apud illud valetudinarium praestabat, cum de gravi casu puellulae e parentibus cognovisset, eosdem exhortata est, ut ferventem orationem intenderent Deo pro parvula infirma sananda Venerabilis Servae dei intercessione suffulta. Huic invocationi etiam proximi et amici familiae et consorores monialis interfuerunt et parva reliquia ex indumentis super corpore puellulae posita est. Tertio die receptionis in illius valetudinarii area tam clara signa conspicuae valetudinis redintegrationis se praebuerunt, ut medici paucis post diebus et medicamenta et curationes intermitterent. Die 1 mensis Septembris parva puellula feliciter dimissa est. Subsequentibus medicis ex inquisitionibus omnes naturales functiones bene receptas esse et naturalem auctum sua ratione apte evenire compertum est.

Patuit concursus temporis et consequentia inter Venerabilis Servae Dei invocationem et infantis sanationem, quae deinceps naturali socialique vita pollens, sana fuit.

De hac sanatione mira aestimata, apud Curiam ecclesiasticam Aquisgranensem a die 9 mensis Novembris anno 2013 usque ad diem 2 mensis Iunii anno 2014 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 9 mensis Ianuarii anno 2015 est approbata. Medicorum Consilium huius Dicasterii in sessione diei 19 mensis Maii anno 2016 habita declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 19 mensis Ianuarii anno 2017 Congressus actus est Peculiaris Theologorum Consultorum, positivo cum exitu. Die 25 mensis Aprilis anno 2017 Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Cardinale Angelo Amato Praesidente. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium

et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Clarae Fey, Fundatricis Instituti Sororum a Paupere Infante Iesu, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam infantis a morbo v.d. «asfissia perinatale con grave sindrome post-asfittica. Shock ipovolemico da emorragia fetale acuta intra partum»*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 4 mensis Maii a.D. 2017.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

AGENNENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae a Conceptione (in saeculo: Adelaidis de Batz de Trenquelléon) Fundatricis Filiarum Mariae Immaculatae (1789-1828)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria a Conceptione (in saeculo: Adelaidis de Batz de Trenquelléon) in arce v.d. *Trenquelléon* apud Agennum in Gallia die 10 mensis Iunii anno 1789 nata est, eodem anno quo illa natio olim rerum perturbatione subvertebatur, quapropter eius familia suum domicilium etiam in finibus Hispaniae ac Lusitaniae assidue mutare coacta est. Adelaidis in adulescentia patefecit desiderium monialem Carmelitarum se faciendi, hoc autem propositum ad effectum perficere nequit. Amplius gratiae actioni se aperuit et pro personis angustiis, bellis et socialibus perturbationibus laborantibus se tradidit, sollicitans et alios iuvenes ad exercendas operas misericordiae suis in ambitibus et ad puerorum religiosam civilemque institutionem promovendam. Consociatio sic oriebatur, quae postea Congregationi Marianae a Beato Gulielmo Chaminade Burdigalae fundata coniuncta est. Interea napoleonico imperio collapso ac religiosa libertate restituta, anno 1816, auxiliante Reverendo Patre Chaminade, Serva Dei Agenni communitatem mulierum consecratarum fundavit, scilicet Institutum Filiarum Mariae Immaculatae (v.d. *Marianiste*), quarum praecipuum munus fuit schola, catechesis et opitulatio. Sic tandem Adelaidis vocationale propositum consummatum est, quae abhinc religionis nomen Sororis Mariae a Conceptione sumpsit. Paucis post annis in morbum incidit et die 10 mensis Ianuarii anno 1828 pie somno aeterno consopivit. Anno 1986 Summus Pontifex Ioannes Paulus II heroicas eius agnovit virtutes.

Beatificationis respectu Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum cuiusdam Sororis ex Instituto a Serva Dei Maria a Conceptione fundato, quae tum temporis novitia erat, miram quandam sanationem subiecit, quae Verbaniae Novariensi in dioecesi anno 1997 evenit. Soror enim undetricesimo anno aetatis suae percipere pathologica phaenomena incepit, scilicet anomaliam mestruorum in cyclo, corporis ponderis deminutionem, modo crebritatem modo absentiam mestruorum, abdominales dolores, phlebitem, febrim et denique tussim. Die 9 mensis Iunii anno

1997 aegrota apud valetudinarium Verbaniae recepta est eique carcinoma ovariorum compertum, cui addita est etiam effusio pleurica in pulmonum inferiore regione. Aegrotae condicio adeo anceps videbatur, ut medici quoad vitam infaustam diagnosim ediderunt.

Magistra novitiarum cohortata est aegrotam, ut suam invocationem Servae Dei intendere, et suo impulsu secum traxit in oratione consorores Italicae provinciae ac totius Congregationis, ut sanationem iuvenis communi oratione impetrarent. Eae omnes bene consciae erant miraculum sane se petituras esse. Cum in novitiam prima subministratio medicamentorum chemiotherapiae suppeditata est, iis omnibus expletis, mirabiliter nulla nefaria consequentia, contra exspectationem, comperta est. Aegrotae ergo non opus fuit amplius chemiotherapica medicamenta sumere. Sequentibus annis medicae inquisitiones ac probationes habitae sunt, donec duodecim annis post chirurgicam sectionem etiam ordinaria medicamenta intermissa sunt. Omnes facultates tam neurologicae quam physiologicae sine ullis manifestis naevis omnino redintegratae sunt. Soror repente sanata est magna cum consororum ac medicorum admiratione ob extraordinariam ac subitaneam sanationem coram prognosis gravitate.

Patet concursus temporis et consequentia inter Venerabilis Servae Dei invocationem et novitiae sanationem, quae deinceps, naturali socialique vita pollens, sana fuit.

De hac sanatione, mira aestimata, apud Curiam ecclesiasticam Novariensem a die 4 mensis Novembris anno 2013 ad diem 12 mensis Iunii anno 2014 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 5 mensis Decembris anno 2014 est approbata. Medicorum Consilium huius Dicasterii in sessione die 12 mensis Maii anno 2016 declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 19 mensis Ianuarii anno 2017 Congressus actus est Peculiaris Theologorum Consultorum, positivo cum exitu. Die 2 mensis Maii anno 2017 Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Cardinale Angelo Amato praesidente. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota

Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Ven. Servae Dei Mariae a Conceptione* (*in saeculo: Adelaidis de Batz de Trenquelléon*), *Fundatricis Filiarum Mariae Immaculatae, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam mulieris a «cistoadenocarcinoma mucinoso dell'ovaio sinistro infiltrante la capsula, con ascite e pleurite neoplastiche, stadio IV FIGO».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 4 mensis Maii a.D. 2017.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

DETROITENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Francisci Solani (in saeculo: Bernardi Casey) Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum (1870-1957)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Franciscus Solani (in saeculo: Bernardus Casey), Sacerdos professus Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, ad Querquetum in Visconsinia Foederatarum Civitatum Americae Septenptrionalis die 25 mensis Novembris anno 1870, e parentibus qui Hibernia emigraverant, natus est. Sua in pueritia et adulescentia praeter multa corporis exercitamenta multa etiam opera exercuit, enim fuit operarius agrestis, lignorum caesor, pistor, carceris custos et tranviariae lineae ductor. Cum vocationis sacerdotalem ad vitam prima signa percepisset, seminarium dioecesanum ingressus est et postea ad communitatem Fratrum Minorum Capuccinorum coenobii Sancti Bonaventurae eiusdem natalis civitatis accessit. Die 24 mensis Iulii anno 1904 sacro ordine auctus est. Munera autem quae olim ei commissa sunt consentanea fratribus laicis videbantur, enim fuit sacrarii custos, ministrantium moderator et per plus quam viginti et unum annos Detroitensis coenobii ostiarius. Franciscana simplicitate et humilitate magnam ad evangelizationis operam attendit, eo ut multi omni ex sociali loco eum adirent orationem sapientiaque eius consilia petentes. Eucharistiam magno amore diligebat, quem effundebat in ministerio erga proximos suos, praeterea mensam egenioribus fundavit. Die 31 mensis Iulii anno 1957 iuxta coenobium Huntintoniensem in Indiana, quo valetudinis causa commigraverat, mortuus est. Summus Pontifex Ioannes Paulus II anno 1995 eius virtutes heroicas agnovit.

Beatificationis respectu Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum miram quandam cuiusdam mulieris sanationem subiecit, quae Panamae anno 2012 evenerat. Mulier tunc quinquagesimo sexto anno aetatis suae iam a pueritia cutis morbis laboraverat, videlicet maculis rubris in cute, nimia pellis siccitate, squamis cruentis ac pruriginosis in brachiis, in cruribus et in capite. Ex visitatione iuxta medicum hac in disciplina peritissimum diagnosis insanabilis ichthyosis vulgaris ei relata est. Enim curationes per unguenta pellem hydratantia vel immersiones in piscina

decursu annorum praeter rara solacia ei nullam fere utilitatem attulerunt. Haec omnia multa incommoda aegrotae praebuerunt, quae suum munus docentis relinquere et pensione sua ante tempus frui debuit.

Anno 2012 cum in Foederatas Civitates Americae Septentrionalis iter ageret, mulier quae iam pridem Missionariorum Capuccinorum Panamensium operi interfuerat, Venerabilis Servi Dei sepulcrum visitavit. Postquam pro aliis exoraverat sibi etiam orandi necessitatem percepit, mox fortem ardorem animadvertit una cum sensu pressionis inferioribus in artibus, pauca post minuta temporis quasdam magnas squamas ex cruribus suis sine ullo dolore vel sanguinis effusione decidere conspexit. Sequenti die eandem rem in brachiis observavit. Cum Panamam aegrota rediisset, medicis inquisitionibus se subiecit ex quibus sanatio comperta est.

Evidens est concursus temporis et consequentia inter Venerabilis Servi Dei invocationem et mulieris sanationem, quae deinceps, naturali socialique vita pollens, sana fuit.

De hac sanatione, mira aestimata, iuxta Curiam ecclesiasticam Detroitensem a die 9 mensis Septembris anno 2014 ad diem 18 mensis Ianuarii anno 2015, Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 27 mensis Martii anno 2015 est approbata. Medicorum Consilium huius Dicasterii in sessione die 22 mensis Septembris anno 2016 declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 19 mensis Ianuarii anno 2017 Congressus actus est Peculiaris Theologorum Consultorum, positivo cum exitu. Die 25 mensis Aprilis anno 2017 Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Cardinale Angelo Amato Praesidente. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servi Dei Francisci Solani* (*in saeculo: Bernardi Casey*)*, Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam mulieris ab «ittiosi congenita grave»*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 4 mensis Maii a.D. 2017.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

BISINIANENSIS

Canonizationis Beati Angeli ab Acrio (in saeculo: Lucae Antonii Falcone) Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum (1669-1739)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beatus Angelus ab Acrio (in saeculo: Lucas Antonius Falcone) Acrii iuxta Cosentiam in Italia die 19 mensis Octobris anno 1669 ex familia humili loco natus est. Quibusdam difficultatibus victis, evenit frater Franciscanus Capuccinus et, expleta institutione, anno 1700 sacro ordine auctus est. Oratione ac Christi passionis contemplatione omnino mersus, suum proprium ministerium in praedicatione explicuit, munus profundum ac constans exegit, quod ipse sermone omnibus claro ac intelligibili omnibusque credibile ac fide dignum propter suum vitae testimonium porrigebat. Praedicabat in quadragesimalibus, in exereitiis spiritualibus ac in missionibus popularibus fere per totam meridianam Italiam et maxime sua natali in regione, eo ut ab hominibus sui temporis dicebatur «*apostolus Brutii*». In debilium partes transiit contra abusus et nimiam potentiam, sui temporis corruptionem castigans et sociales iniquitates animi impetu et pertinacia denuntians. Eius zelus saepissime impulit ut ipse peccatores quaereret, quos ad conversionem sollicitabat et nocte quidem ad aegrotos cito accurrebat ut assideret. Ditissimus fuit multis charismaticis donis, videlicet sanationibus ac cordia intelligendi perspicacitate. Acrii die 30 mensis Octobris anno 1739 mortali e vita excessit. Summus Pontifex Leo XII anno 1825 Beatorum in numerum eum adscripsit.

Canonizationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum cuiusdam iuvenis miram quandam sanationem, quae in Brutiis evenerat, subiecit.

Iuvenis duodevicesimum annum aetatis agens cum sua in motocyclula veheretur, galea praesidii non adhibita et vehiculi moderamen perderet, summa vi graviter contra ligneum palum telephonicae retis diruptus est, humi cecidit terribili cranii ictu in asphalto viae. Ad Cosentinum valetudinarium gravissimis in condicionibus pervenit. Erat illa die 23 mensis Martii anno 2010. Sequentibus diebus iuvenis condicio in peius amplius mutavit eo ut medici prognosim ediderent infaustam non tantum quoad valetudinem, sed etiam quoad iuvenis aegroti vitam.

Illis in discriminibus mater iuvenis, Beato Angelo devota, ad quendam patrem Capuccinum se contulit, hic praeterquam quod ipsemet Beatum invocavit, multas etiam personas chorali in oratione secum traxit, ut simul aegroti sanationem impetrarent, cuius etiam ad pulvinar reliquia est gesta. Statim die 30 mensis Martii res aegroti in melius mutaverunt et physiologica aequilibria in integrum restituta sunt, hac re iuvenis primum in valetudinarii partem ad degentiam constitutam traductus est et deinde in institutum ad redintegrationem functionum demissus. Paucis in haebdomadibus iuvenis omnino ad pristinam valetudinem sine ullis reliquationibus reversus est eo ut domum et ad scholam rediret. Sequentibus ex clinicis inquisitionibus compertum est eius valetudinis et corporis condiciones, sine exitibus, secundum normam esse et in plenitudine eius integritatis.

Evidens est concursus temporis et consequentia inter Beati invocationem et sanationem iuvenis, qui deinceps naturali socialique vita pollens sanus fuit.

De hac sanatione, mira aestimata, apud Curiam ecclesiasticam Cosentinam-Bisinianensem a die 29 mensis Martii ad diem 15 mensis Decembris anno 2014 celebrata est Inquisitio dioecesana, cuius validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 20 mensis Martii anno 2015 est approbata. Medicorum Consilium huius Dicasterii in sessione diei 15 mensis Decembris anno 2016 declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 21 mensis Februarii anno 2017 Congressus actus est Peculiaris Theologorum Consultorum, positivo cum exitu. Die 14 mensis Martii anno 2017 Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Cardinale Angelo Amato Praesidente.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanetitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beati Angeli ab Acrio* (*in saeculo: Lucae Antonii Falcone*)*, Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam iuvenis a «trauma cranico-encefalico, con segni di danno assonale diffuso. Coma grave. Frattura fronto-temporale destra, frattura temporale e mastoide sinistra con emotimpano. Contusione polmonare»*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 23 mensis Martii a.D. 2017.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

LEIRIENSIS-FATIMENSIS

Canonizationis Beati Francisci Marto pueri (1908-1919 et Beatae Hyacinthae Marto puellae (1910-1920)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beati Franciscus et Hyacintha Marto sunt parvuli qui Fatimae Virginem Mariam viderunt. Eorum singularis experientia centum annis ante evenit, scilicet anno 1917. Franciscus ortus est die 11 mensis Iunii anno 1908 et eius soror Hyacintha die 11 mensis Martii anno 1910. Humili e familia, eorum brevis vita Lusitaniae in parvo pago v.d. *Aljustrel* transcurrit. Pueri ludum litterarium paululum frequentaverunt eo ut litterarum fere ignari essent. Primas religionis institutiones a consobrina Lucia domi didicerunt. In simplicitate primos fidei grados fecerunt, celebrationi Eucharisticae interfuerunt in familia orando et ad caritatem se pandentes. Munus in quo magis se tradebant una cum Lucia gregis custodia erat. Anno 1916 tres pueri Angelum pacis viderunt. Sequenti anno quaedam visiones Virginis Mariae subsecutae sunt. Eorum vita magis magisque in fidem, in orationem, in paenitentiam et denique in contemplationem convenit. Dum Lucia diu vixit, Franciscus die 4 mensis Aprilis anno 1919 mortuus est et Hyacintha die 20 mensis Februarii anno 1920. Ambo a Summo Pontifice Ioanne Paulo II Beatorum in numerum anno 2000 ascripti sunt.

Canonizationis respectu, Causae Postulatio iudicio istius Congregationis de Causis Sanctorum miram quandam pueri sanationem, quae in Brasilia mense Martio anno 2013 evenerat, subiecit.

Sexto aetatis anno, cum puer super crepidinem ex altitudine septem metrorum prolapsus esset, statim in valetudinarium loci v.d. *Juranda* traductus est ibique medici, summa aegroti gravitate explorata, eum ad aptius medicum institutum Campi Moranensis tranferri statuerunt; in itinere tamen novae difficultates accesserunt quoad pueri cordis functionem, quae eum ad veternosam condicionem reduxerunt. Parvulus aegrotus chirurgicae sectioni per craniotomiam festinanter subiectus est atque per tubum in ore eius respiratio apte suppeditata, in valetudinarii parte ad curationes graviores receptus est. Calamitosus casus vespere diei 3 mensis Martii evenerat.

Pueri parentes, vix cognito infortunio, statim Virginem Fatimensem invocaverunt et maxime avus orationem utrumque ad parvum Virginem videntem, scilicet ad Beatos Franciscum et Hyacintham intendit, invitata est ut oraret etiam communitas Sororum Carmelitarum quae erga parvulos Lusitanos pastores valde devota erat. Paucis in diebus aegrotus signa clarae et extraordinariae redintegrationis valetudinis ostendit, una cum restitutione functionum naturalium et sine exitibus gravis infortunii. Ex subsequentibus medicis investigationibus nihil compertum est praeter absolutam sanationem.

Evidens est concursus temporis et consequentia inter Beatorum invocationem et pueri sanationem, qui deinceps naturali socialique vita pollens sanus fuit.

De hac sanatione, mira aestimata, apud Curiam Campi Moranensis in Mexico e die 5 ad diem 13 mensis Augusti anno 2016, Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 21 mensis Octobris anno 2016 est approbata. Medicorum Consilium huius Dicasterii in sessione die 2 mensis Februarii anno 2017 declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 21 mensis Februarii anno 2017 Congressus actus est Peculiaris Theologorum Consultorum, positivo cum exitu. Die 21 mensis Martii anno 2017 Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Cardinale Angelo Amato Praesidente.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beati Francisci Marto, Pueri, et Beatae Hyacinthae Marto, Puellae, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam pueri a «grave trauma cranio-encefalico aperto con perdita di sostanza cerebrale, coma grave e danno assonale diffuso»*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de

Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 23 mensis Martii a.D. 2017.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CALCUTTENSIS

Canonizationis Beatae Teresiae de Calcutta (in saeculo: Agnetis Gonxha Bojaxhiu) Fundatricis Congregationum Missionariarum a Caritate et Missionariorum a Caritate (1910-1997)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beata Teresia de Calcutta (in saeculo: Agnes Gonxha Bojaxhiu) die 26 mensis Augusti anno 1910 in civitate *Skopje* e familia Illyrica opibus locupleta et aestimata nata est. Cum octavum aetatis suae annum ageret, patre orbata est, iam ab adulescentia paroeciae operas participavit. Mense Septembri anno 1928, postulans inter Sorores Virginis Mariae Lauretanae in Hibernia ingressa est. Mense Ianuario anno 1929 Calcuttam in India et deinde in urbem v.d. *Darjeeling* se transtulit, ibique mense Maio eiusdem anni novitiatum incepit. Anno 1931 prima vota et die 24 mensis Maii anno 1931 perpetua, nomen Teresiae sumens, emisit. Degit Calcuttae docens in schola Sanctae Mariae. Die 10 mensis Septembris anno 1946 cum iter agmine viae ferratae e Calcutta ad *Darjeeling* ageret «*vocationem in vocatione*» recepit, quae Sororibus Missionariarum a Caritate et deinde familiae masculinae eiusdem Ordinis exordium dedit. Anno 1979 ei propter operam in pauperiores et sollers studium in virtutem et dignitatem uniuscuiusque hominis *Praemium Nobelianum pro Pace* tributum est. A principio annorum octavae decadis saeculi XX, Mater Teresia totum orbem lustrare incepit ut ad vota novitiarum adstaret, novas domus fundaret et denique pauperibus hominibusque calamitate percussis ipsa ministraret. Die 5 mensis Septembris anno 1997 Calcuttae vitales auras liquit, publicis in exsequiis eius corpus sollemni magnificentia deductum est. Longe plus quam centena milia hominum ad exsequias ex omni ordine et religione participaverunt, existimationis et reverentiae obsequium una cum primariis ministris, regibus, legatis extraordinariis omnibus e nationibus missis praebentes. Die 19 mensis Octobris anno 2003 Summus Pontifex Ioannes Paulus II eam in numerum Beatorum ascripsit.

Canonizationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum miram quandam viri sanationem, quae Sanctis Brasiliae anno 2008 evenerat, subiecit. Vir, cum duodevicesimum annum aetatis agens renis transplantatione una cum medicamentorum facultatem

corporis immunitatis deprimentorum assumptione contra organi reiectionem adhibitus esset, temporis decursu, multas in difficultates incidit. Mense Martio anno 2008 invaletudines in aequilibrio una cum vertiginibus, convulsionum crisibus et conscientiae amissione percipere incepit. Per examinationem resonantiae magneticae nuclearis acuta encephalo-myelites inveniebatur. Quamvis vir in valetudinarium ter reciperetur, tamen valetudo ingravescebat et defectus roboris in parte sinistra corporis inveniebatur et agitationes convulsivae, vertigines et denique conscientiae amissio ostendebantur. Augusto mense deambulationis ob difficultatem in terram cecidit, sibi profundum vulnus in pedis clavicula producens. In valetudinario medici diagnosim fecerunt cerebralis infectionis viralis, qua re antiviralia medicamenta adhibuerunt. Eius valetudo, cum agitationibus convulsivis, motionis et eloquii difficultatibus ingravescere perrexit. Computoria axialis tomographia complicationes derivatas e pluribus abscessibus cerebralibus invenit. Die 9 mensis Decembris hominis ob hydrocephalaeam obstructivam gravissima videbatur condicio. Medici subitaneam sectionem chirurgicam adhibere statuerunt, cannulam expurgationis applicando. Ad horam fere sextam et minuta decem post meridiem aegrotus in aulam chirurgicam traductus est, tamen clinici trachialem tubum pro anaesthesia introducere nequiverunt. Post dimidiam horam medicus neurochirurgus, cum in aulam chirurgicam rediretur, aegrotum praeter exspectationem vigilem invenit, qua re, incolumitatis causa, virum in valetudinarii intensivae curationis aream traducere iussit. Mane diei 10 mensis Decembris anno 2008 aegrotus vigil erat sine morbi notis vel indiciis, sine cephalaea et cum redintegratione cognitionis omnium functionum.

Etenim a mense Martio anno 2008 aegroti uxor continuatas orationes Beatae Matris Teresiae ad intercessionem obtinendam attollebat. Ad eam accesserunt et proximi aegroti, amici et parochus, qui ad intercessionem Beatae impetrandam singillatim oraverunt. Die 9 mensis Decembris eodem anno, cum aegroti condicio desperate aggravaretur et in aulam chirurgicam instanter deduceretur, orationes ad Beatam magis amplificabantur. Tempore sane inter minutam decimam et minutam quadragesimam horae sextae post meridiem aegroti uxor in ecclesiam introivit et una cum parocho ad Beatam suam orationem magno fervore intendit. Constat ergo absoluta coincidentia temporis inter causam et effectum, scilicet inter invocationem et viri sanationem, quae scientiarum legibus inexplicabilis videtur.

Vir die 23 mensis Decembris anno 2008 e valetudinario demissus, ad suum officium ingeniarii mechanici sine ulla praescriptione rediit. Praeterea ob nimiam et fortem medicamentorum corporis immunitatis facultatem deprimentorum et antibioticorum assumptionem, quamvis medicae inquisitiones in eo sterilitatem arguissent, cum uxore duos sanos filios annis 2009 et 2012 generavit.

De hac sanatione, mira aestimata, apud Curiam Sanctosensem a die 19 ad diem 26 mensis Iunii anno 2015 celebrata est Inquisitio dioecesana, cuius validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 2 mensis Iulii anno 2015 est approbata. Medicorum Consilium huius Dicasterii in sessione diei 10 mensis Septembris anno 2015 declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 8 mensis Octobris anno 2015 Congressus actus est Peculiaris Theologorum Consultorum, positivo cum exitu. Die 15 mensis Decembris anno 2015 Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Cardinale Angelo Amato praesidente. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beatae Teresiae de Calcutta* (*in saeculo: Agnetis Gonxha Bojaxhiu*) *Fundatricis Congregationum Missionariarum a Caritate et Missionariorum a Caritate, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam viri ab* «*ascessi multipli sopra e sotto-tentoriali con idrocefalo triventricolare in soggetto già sottoposto a trapianto con immunosoppressori*».

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 17 mensis Decembris a.D. 2015.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

PUTEOLANA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Iliae Corsaro Fundatricis Congregationis Parvarum Missionariarum ab Eucharistia (1897-1977)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Iesus a nobis non petit, aliter atque a multis sanctis, corporalis opus misericordiae erga pauperes vel aegrotos, sed opus benevolae hominum regenerationis necnon consolationis afflictorum, amoris exheredium, omnium illorum quos unum caritatis verbum capit, convertit, elevat».

Ad hanc societatis renovandae operam Serva Dei Ilia Corsaro totam vitam suam dicavit. Mulieris ac religiosae, in Deo omnino mersae et ad tempora sua plene accomodatae, exemplar, illa cor evangelice hospitale, dulcissimarum erga proximum dilectionis varietatum capax, sane habuit. Huiusce fons caritatis fuit mysterii eucharistici contemplatio, missionalis eidem vis actionis atque lux ad divinam voluntatem adimplendam.

Serva Dei Herculanei die 4 mensis Octobris anno 1897 ab Angelo Corsaro ac Maria Trotta est orta. Sub caelo docto ac moraliter integro, sed religiosa a praxi alieno, crevit. Illi, ad baptismalem fontem ductae, nomina Ilia, Victoria, Gratiosa sunt imposita. Postquam duo fratres maiores ad christianam vitam rediverant, Ilia quoque Domini, qui fecit ut illa fidei, in germine iam receptae, doni pulchritudinem perciperet, vocationem animadvertit. Ab anno 1910 sapientium sanctorumque presbyterorum moderamini se commisit et intellexit cor suum ardens esse tantum in Christo pacem inventurum. Anno 1914 ad mensam eucharisticam accessit dieque Pentecostes anno 1918 Confirmationis sacramentum recepit. Die illo conversionis gratiam parentibus quoque imploravit.

Ilia ad Dei voluntatem animum cum gaudio intendit et congruentem discretionem vocationalem exercuit. Infirmorum ministrae diploma et in humanis litteris laurea intellectuale fuerunt instrumentum, quo illa plena cum humilitate se ad futura officia paravit. Serva Dei ante Iesum Eucharisticum longas consumere adorationis horas diligebat, Sacris Scripturis alebatur, se Beatae Mariae Virginis ac Sanctorum, Francisci praesertim et Clarae Assisiensis, patrocinio commendabat. Claustralem vitam intime appetebat.

Anno 1921, dum noctem in oratione quondam peragebat, ad instituendam Congregationem *Parvarum Missionariorum ab Eucharistia,* quae Balneolis die 3 mensis Novembris anno 1928 initium cepit, est inspirata. Inops ac laeta, Pauperculi Assisiensis exemplo, Serva Dei una cum primis quattuor sociabus de providentia vivebat et se turnatim Eucharisticae, die noctuque, adorationi, egentium curae et evangelizationi dicabat. Quod Ilia in longioribus vigiliis nocturnis finxerat, illud scilicet « Sub Tabernaculorum umbra vivere atque minimos, pauperrimos, omnes illos quos nemo amat, in caritate regenerare », id tali modo efficiebatur.

Magna moderatione et acuto ingenio praedita, Serva Dei simplicis essentialisque vitae rationem tenuit. Virtuosus eius habitus e plena cum Deo communione, quae se effundebat super quotquot occurrebat, sensum ac vim percipiebat. Assidua oratione roborata, sub fidei lumine vivebat. Se Domino magnopere constanterque commendabat atque omnibus in necessitatibus auxilium a Providentia sperabat. Gratiae docilis, canonicam operae suae, quae pauperior ut superesset iudicabatur, approbationem patienter exspectavit. Laeta ac subridens, Ecclesiae Magisterio necnon loci Ordinario fuit oboediens. Licet fundationis officio gravata, in Episcopali Lyceo humanas litteras ac religionem docendi munus suscepit.

Singularis alacritatis apostolicae mulier, propter sollertiam et sapientiam admirabile evangelizationis opus, de iuvenibus, familiis operariisque curam adhibens, nimirum fovit. Ad iuvandum quemlibet et consolandum non est cunctata quin apud mensas, officina navalia ac fabricas, locos Ecclesiae hostiles putatos filias suas mitteret. Naturalem sensum affectivum in constanti modo misericorditer agendi erga omnes, quibus incidebat, exhibuit atque in illis Christi humanitatem experta est. Materna cum caritate pueros quas bellum parentibus orbaverat, accepit et ad eorum utilitatem parvas Domus Matris aedes concessit. Ab ea plurimi consilia, ut in spiritali vita procederent, petebant. Humilitas in Antistitae Generalis munere exercendo illam ita custodivit, ut eam auditionis sollertiaeque mulierem efficeret. Spei virtus, quae in risu eius et benignitate refulgebat, ipsam vivere coegit caelum exspectantem. Cui una fuit aspiratio: maior Dei gloria. Septimo praeteriti saeculi decennio incepit opus Instituti missionale in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis, in Helvetia inter Italicos migrantes et in Brasilia inter tuguriorum incolas.

Postquam dominica in vinea operam maxime dederat atque in postconciliaris renovationis annis sorores suas prudenter moderanterque rexerat, Servae Dei Congregationem a Summo Pontifice per laudis Decretum anno 1974 videre approbatam potuit. Balneolis longam post aegrotationem, quam consueta Deo oblatione sustinuit, die 23 mensis Martii anno 1977, ampla sanctitatis fama circumdata, Patris domum rediit.

Quam ob rem a die 31 mensis Octobris anno 1997 ad diem 13 mensis Martii anno 2000 apud Curiam Episcopalem Puteolanam celebrata est dioecesana super Servae Dei vita et virtutibus necnon sanctitatis fama Inquisitio, cuius vis iuridica Decreto die 23 mensis Martii anno 2001 a Congregatione de Causis Sanctorum est agnita. *Positione* confecta, die 2 mensis Decembris anno 2014 Consultorum Theologorum Congressus prospero cum exitu locum habuit. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 15 mensis Martii anno 2016, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, professi sunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Iliae Corsaro, Fundatricis Congregationis Parvarum Missionariarum ab Eucharistia, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 26 mensis Aprilis a.D. 2016.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Franciscus Pp., per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 6 Aprilis 2018. — Cathedrali Ecclesiae Novoraniensi, R.D. Aloisium Antonium Scozzina, Ordinis Fratrum Minorum Sodalem, hactenus Instituti Sancti Thomae Aquinatis Moderatorem in urbe Rosariensi.

die 7 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Tagamnae, R.D. Medel S. Aseo, e clero eiusdem dioecesis, hactenus Missionarium apud Sanctae Mariae paroeciam in dioecesi Greensburgensi in Foederatis Civitatis Americae Septentrionalis.

die 17 Aprilis. — Metropolitanae Ecclesiae Sanctae Fidei Verae Crucis, Exc.mum D. Sergium Aloisium Fenoy, hactenus Episcopum Sancti Michaëlis in Argentina.

die 25 Aprilis. — Metropolitanae Ecclesiae Marianensi, Exc.mum D. Airton Iosephum dos Santos, hactenus Archiepiscopum Metropolitam Campinensem.

— Cathedrali Ecclesiae Paranaviensi, R.D. Marium Spaki, e clero dioecesis de Ponta Grossa et hactenus in Conferentia Nationali Episcoporum Brasiliae Secretarium executivum Consilii Episcopalis Regionalis Meridionalis II.

die 27 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Alexandrinae-Cornubiensi, Exc.mum D. Terentium Thomam Prendergast, S.I., Archiepiscopum Ottaviensem. Insuper statuit ut Ecclesia metropolitana Ottaviensis et Ecclesia Alexandrina-Cornubiensis inter se uniantur in persona Episcopi.

die 28 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Marbelianae, R.D. Cyrillum Casicas, e clero eiusdem dioecesis, hactenus Directorem ac Professorem Sancti Ioannis Vianney seminarii in oppido Cagayan de Oro appellato.

die 3 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Visensi, R.D. Antonium Lucianum dos Santos Costa, e clero dioecesis Aegitaniensis ibique hactenus Vicarium Episcopalem pro Clero.

CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA

(DE STUDIORUM INSTITUTIS)

INSTRUCTIO

STUDIA IURIS CANONICI SUB LUCE PROCESSUS MATRIMONIALIS REFORMATIONIS

Novis postulatis, exhibitis binis Litteris Apostolicis Motu Proprio editis *Mitis Iudex Dominus Iesus*[1] atque *Mitis et misericors Iesus*,[2] quoad reformationem processuum canonicorum pro causis de matrimonii nullitate declaranda, Congregatio de Institutione Catholica suum ob munus in Instituta academica pro studiis ecclesiasticis, hanc *Instructionem* edit ad incitandum et indicia praebenda pro studio Iuris Canonici.

Ea incipit, primum, respiciens hodiernam praesentiam institutionum quae officium sustinent docendi Ius Canonicum in Ecclesia universa, ad demonstranda subsidia et difficultates atque extollendum momentum ut praestetur qualitas academica harum institutionum in servitio Ecclesiae.

In prospectu reformationis processuum, quos indicant Litterae Apostolicae Motu Proprio datae, secundum, praeter formas quas iam secum ferunt normae Iuris Canonici, indicat novas formas in memorata reformatione contentas.

Tertium proponuntur quaedam formationis possibilia itinera pro variis competentiae gradibus, necessariis ad exercenda diversa officia.

Postremo *Instructio* continet normas pertinentes ad singulos Magnos Cancellarios et Auctoritates academicas Institutionum Iuris Canonici, Facultatum Theologiae atque Universitatum Catholicarum.

[1] Franciscus PP., Litterae Apostolicae Motu proprio datae *Mitis Iudex Dominus Iesus*, 15 Augusti 2015, in *AAS* 107 (2015), pp. 958-967. *Ratio procedendi* [= *RP*] invenitur ibi in pp. 967-970.

[2] Franciscus PP., Litterae Apostolicae Motu proprio datae *Mitis et misericors Iesus*, 15 Augusti 2015, in *AAS* 107 (2015), pp. 946-954. *Ratio procedendi* [= *RP*] invenitur ibi in pp. 954-957.

Praesens *Instructio* editur postquam perlate est consultum, atque consulto ac suffragante Supremo Tribunali Signaturae Apostolicae.

1. HODIERNA CONDICIO INSTITUTIONUM IURIS CANONICI

Institutiones quae munus gerunt docendi Ius Canonicum in Ecclesia universa sunt Facultates, Instituta *ad instar Facultatis*, Instituta *sui iuris* I et II cycli atque Instituta aggregata et incorporata Facultati Iuris Canonici, quae erecta vel approbata est a Sancta Sede.

Hae Institutiones perdiu pretiosum ecclesiale ministerium exercent,[3] plurima postulata complectentes, quae postremis temporibus augescere conspiciuntur. Cum concreta proposita reciperentur, quae in supra memoratis binis Litteris Apostolicis Motu Proprio datis continentur, altiore modo effecta est aestimatio quoad numerum, pondus academicum realemque facultatem huiusmodi Institutionum ecclesiasticarum novis postulatis respondendi.[4]

Quod pertinet ad *naturam et fines*, Institutiones academicae ecclesiasticae debent accomodare sua Statuta, Decretum *Novo Codice* applicando, eaque Congregationis de Institutione Catholica approbationi subicere, quod praestat qualitatem atque agnitionem titulorum etiam extra ecclesiales sedes.

Docentes constituunt structuram magni ponderis Institutionum academicarum. In universum, postremis annis animadvertitur numerum eorum decrescere, et insuper augescere condiciones in quibus plures eorum haud valent cuntinuum praestare servitium, quoniam aliis onerosis officiis ecclesiasticis distinentur vel inevitabilibus operibus externae consulentiae (sicut, exempli gratia, apud Tribunalia). Ad hanc difficultatem superandam et docentium toto tempore praesentiam assequendam necesse est, in diversis casibus, quaerere professoribus ut brevibus temporum spatiis ad alia Instituta se transferant.

Quod ad *studentes* attinet, in universum animadvertitur imminutus inscriptorum numerus, quod in nonnullis casibus nequit certam reddere aequam vitam academicam. Crescens numerus studentium laicorum certe multum

[3] Cfr Ioannes Paulus PP. II, Constitutio Apostolica *Sacrae disciplinae leges*, 25 Ianuarii 1983, in *AAS* 75 (1983), pars II, p. XI.

[4] Cfr Congregatio de Institutione Catholica, *Occursus cum Decanis et Praesidibus omnium Institutionum Iuris Canonici catholici orbis, Romae, 20-21 octobris 2016*, in *Educatio Catholica* 2-3/4 (2016), pp. 9-94.

valet ac stimulat; attamen, prae superioribus temporibus, id auget complicationes in rebus ordinandis et gerendis – potissimum propter studentes qui ante haud fecerunt studia theologica – et hac ratione illud requirit altiorem considerationem.

Itemque *rationes studiorum* (tempus, compositio curriculorum praeparationis quo adimpleantur criteria accessus ad studia Iuris Canonici, sicut etiam curriculorum secundi cycli) debent iterum considerari, praesertim quod pertinet ad studentes qui non pollent aequa formatione philosophico-theologica. Hoc in contextu, debent ordinari etiam curricula quae perficiuntur per methodum docendi ex longinquo.

Congregatio de Institutione Catholica comitatur ac sustinet institutiones in eorum praecipuo munere complendo ut praestetur qualitas studiorum Iuris Canonici, in futuris docentibus praeparandis, in magis opera danda inquisitioni, in curandis scriptis edendis et in congressibus et seminariis promovendis, participantibus etiam externis. Nam optatur diffusior communicatio ut foris noscatur opus Institutionum ecclesiasticarum et iuvetur disputatio culturalis super argumentis propriis Iuris Canonici.

Ad hos fines consequendos necessarium est ut adhibeantur instrumenta normarum quae nunc sunt, id est: Constitutio Apostolica *Veritatis gaudium*,[5] eidem adnexae *Ordinationes*[6] atque Decretum *Novo Codice*,[7] in quo indicantur postulata pro qualitate praestanda ad docendum Ius Canonicum, cum in Facultatibus et Institutis propriis tum in Facultatibus Theologicis. Huiusmodi instrumentis normarum adiunguntur dispositiones per praesentem *Instructionem* editae.

2. PERSONAE QUAE HAC REFORMATIONE IURIS PROCESSUALIS PERFICIENDA IMPLICANTUR

Novae dispositiones per supra dictas binas litteras motu proprio datas prae se ferunt illos diversimode esse instituendos qui vocantur ad operandum apud Tribunalia ecclesiastica; nam officiis, quae iam Codex Iuris Canonici

[5] Franciscus PP., Constitutio Apostolica de studiorum Universitatibus et Facultatibus Ecclesiasticis *Veritatis gaudium*, 8 Decembris 2017 [= *VG*].

[6] Congregatio de Institutione Catholica, *Ordinationes ad Constitutionem Apostolicam* Veritatis gaudium *rite exsequendam*, 27 Decembris 2017 [= *OrdVG*].

[7] Congregatio de Institutione Catholica, Decretum quo ordo studiorum in Facultatibus Iuris Canonici innovatur *Novo Codice*, 2 Septembris 2002, in *AAS* 95 (2003), pp. 281-285.

complectitur, reformatio inducta a Papa Francisco addit alia genera personarum ad congruum servitium praestandum.

Nominari possunt personae quae directe vel indirecte operantur in ambitu iudiciali ecclesiali, diversis in gradibus actuositatum conexarum cum processibus canonicis pro causis nullitatis matrimonii:

– *Episcopus*, a quo can. 378, § 1, n. 5 requirit ut sit « laurea doctoris vel saltem licentia in sacra Scriptura, theologia aut iure canonico potitus in instituto studiorum superiorum a Sede Apostolica probato, vel saltem in iisdem disciplinis vere peritus ».[8] Talis cognitio sacrarum scientiarum (etiam sine gradibus academicis), una cum gratia sacramentali ordinationis episcopalis, sufficit ut quisque Episcopus suapte natura plene idoneus reddatur ad omnem processum matrimonialem instruendum, etiam illum breviorem.[9] Hoc non obstat quominus prudentia Episcopo suadere possit ut cooperatores adhibeat etiam peritiores in iure canonico; hoc tamen semper relinquitur pleno eius discernendi iudicio secundum in singulis casibus rerum adiuncta;

– *instructor* vel *auditor*, qui Episcopi Moderatoris approbatione indiget, quique doctrina emineat, titulo academico non postulato (cfr *CIC*, can. 1428, § 2; *CCEO*, can. 1093, § 2);

– *assessor*, a quo in recenti reformatione requiritur peritia in scientiis iuridicis vel humanis (cfr *CIC*, can. 1673, § 4; *CCEO*, can. 1359, § 4);

– *Cancellariae Tribunalis moderator*, qui debet esse integrae famae et omni suspicione maior (cfr *CIC*, can. 483, § 2; *CCEO*, can. 253, § 2; et *DC*, art. 63);[10]

– *notarius* (cfr *CIC*, can. 483, § 2; *CCEO*, can. 253, § 2; et *DC*, art. 63);

– *periti*: ad tractandas causas incapacitatis psychicae « maxime curandum est ut periti seligantur qui principiis anthropologiae christianae adhaereant » (*DC*, art. 205, § 2).

– *advocati* atque *advocati stabiles*, quorum necesse est quisque sit « doctor in iure canonico, vel alioquin vere peritus » (*CIC*, can. 1483; cfr can.

[8] Cfr CCEO, can. 180, n. 6.

[9] Si hoc certum est in gradu iuris formalis, haud est obliviscendum Episcopum, qui a Deo missus est sicut Pastor sui gregis, plus quam ceteros omnes habere gratiam et officium intellegendi et verum bonum animarum persequendi, et ideo valere iustitiam et caritatem, veritatem et misericordiam componere etiam in hoc ambitu matrimoniali, in quo multi humanae condicionis infirmitatem experiuntur.

[10] Pontificium Consilium de legum Textibus, Instructio servanda a tribunalibus dioecesanis et interdioecesanis in pertractandis causis nullitatis matrimonii *Dignitas connubii*, 25 Ianuarii 2005, in *Communicationes* 37 (2005), pp. 11-92 [= *DC*].

CCEO, 1141); at non excluditur normas aditum moderantes ad Advocatorum Album apud certum Tribunal vel etiam tantum aditum ad patrocinium in certo Tribunali requirere titulum academicum Doctoratus vel Licentiae in Iure Canonico; nam *CIC*, can. 1483, et *CCEO*, can. 1141, determinant tantummodo minimum quod requiritur de advocati titulo. Moderator Tribunalis accurate inquirere debet an Advocatus, qui gradu academico caret, vera peritia forensi pollet, quam plerumque tantum gradus academicus certo praebet;

– *consulentes*, de quibus sermo est in *DC*, art. 113, § 1, et in articulis 2-5 *Rationis procedendi*, quae adnexa est binis Litteris Apostolicis Motu Proprio editis, pertinentibus ad examen praevium praesentationi libelli cum postulatione nullitatis. Secundum *RP*, art. 3, investigatio « personis concredetur ab Ordinario loci idoneis habitis, competentiis licet non exclusive iuridico-canonicis pollentibus ». Opportunum est ut, dumtaxat ad partem postremam huius investigationis, participet quaedam persona vere perita in iure matrimoniali canonico, quae valeat decernere habeanturne rationes nullitatis necne.

Consulentes variis in muneribus processuum declarationis nullitatis matrimonii implicati utiliter colligi possunt in tribus manipulis, secundum rectam et veram imaginem circulorum centro circumductorum concedentium necessariarum consultationum usque diligentiorum:

– *parochi et alii*, qui pollent « competentiis licet non exclusive iuridico-canonicis » (*RP*, art. 3, caput primum): his in consulentibus conspiciuntur ii qui praestabilem occasionem habent primo personas conveniendi quarum interesse potest de nullitate sui matrimonii explorare; qui appellari possunt (appellationes quidem cuiusdam sunt ponderis) *consulentes primi gradus*;

– *membra cuiusdam 'structurae stabilis'* (*RP*, art. 3, caput secundum): clerici, religiosi vel laici, qui operantur uti consultores familiares. Hic consultationis gradus et comitationis pastoralis-psychologicae illuc spectat ut decernatur an revera rationes et probationes sufficientes exstent ad nullitatis causam introducendam, ne temere quaedam nullitatis causa incohetur; hi sunt *consulentes secundi gradus*;

– *advocati* (*RP*, art. 4): postrema pars consultationis, si positiva, concluditur praesentatione libelli apud Tribunal, ad quam advocatus adiuvat invenire elementa essentialia et utilia probationis, colligere probationes quae

iam praesto sunt, audire – si opus est – alterius partis opinionem atque omnia disponere ad causam incohandam; hi sunt *consulentes tertii gradus*;

Index officiorum haud aequat in eodem gradu praeparationis pondus requisitum in varias personas quae eadem gerere debent, sed munerum diversitas exigit ut varia habeantur formationis itinera pro variis memoratis manipulis. Eorum pastoralis et professionalis habitus praestetur oportet per congruam institutionem academicam, pro variis muneribus perficiendis.

3. PROSPECTUS ET FORMATIONIS ITINERA

Haec Instructio confirmat vigentes normas canonicas (cfr *VG*, art. 6, et *OrdVG*, art. 8), ad quam solus gradus academicus Licentiae in Iure Canonico, quem quis consecutus est apud Institutionem Iuris Canonici erectam vel approbatam a Sancta Sede, habiles constituit ad assumenda officia quae sequntur: vicarius iudicialis (*CIC*, can. 1420, § 4; *CCEO*, can. 1086, § 4), vicarius iudicialis adiunctus (*CIC*, can. 1420, § 4; *CCEO*, can. 1086, § 4), iudex (*CIC*, can. 1421, § 3; *CCEO*, can. 1087, § 3), promotor iustitiae (*CIC*, can. 1435; *CCEO*, can. 1099, § 2), ac defensor vinculi (*CIC*, can. 1435; *CCEO*, can. 1099, § 2).[11] Nihil ergo hac de re innovatur ista in Instructione.

Lex ecclesiastica non requirit necessario pro cunctis officiis gradum academicum, sed hoc non significat hoc vetitum esse neque reapse quibusdam in casibus necessarium vel congruum.

Responsalitati demandatur Episcopi dioecesani (et respective Episcopi Moderatoris ac, ob eius munus, Vicarii iudicialis) decernere – attentis circumstantiis loci, temporis vel singulae causae – si titularis cuiusdam officii iudicialis proprium munus explere possit sine gradu academico in Iure Canonico, in casibus ubi gradus academicus necessario a iure non requiritur.

Ut aliquod exemplum adducatur, distinguendum est inter assessores iudicis unici, quod *CIC*, can. 1673, § 4, exoptat («ubi fieri possit»; cfr etiam *CCEO*, can. 1359, § 4) et instructorem et assessorem in processu breviore (cfr *CIC*, cann. 1685-1687, § 1; *CCEO*, cann. 1371-1373). Dum uni possunt etiam operari rationabiliter sine gradu academico, cum sint consulentes iudicis unici praecipue super facto, e contra alteri, cum agere debeant unam instructionis sessionem et consilia Episcopo dioecesano dare, difficulter

[11] Solito more etiam advocatus habeat oportet titulum academicum (cfr *CIC*, can. 1483; *CCEO*, can. 1141).

valent exercere suum munus in causis etiam haud nimiae difficultatis, quin gradum academicum habeant.

Hoc in casu pertinet ad prudentiam Episcopi dioecesani, vel respective Episcopi Moderatoris atque Vicarii iudicialis, recte decernere. Agitur de aspectu subsidiarietatis quam lex iubet et erga quam oportet esse responsales; est competentium Sanctae Sedis institutionum hanc responsalitatem promovere ac sustinere.

A. Fines generales

Attenta experientia superiorum decenniorum et consideratis condicionibus in quibus hodie versatur Ecclesia, Congregatio de Institutione Catholica, quoniam ei competit institutio academica, concitata etiam a Pontificio Consilio de Legum Textibus, proxime cooperante Supremo Tribunali Signaturae Apostolicae, per hanc *Istructionem* indicat Episcopis dioecesanis, Episcopis Moderatoribus Tribunalis interdioecesani atque Ecclesiis particularibus quosdam fines generales, qui attente sunt considerandi in aptis personis praeparandis ad opus iudiciale exsequendum, quorum est:

– considerare exigentias pluriformis institutionis ad ius agendum in Tribunalibus ecclesiasticis necnon ad praevia paranda, saltem consultationis tertii gradus;

– comparare normas quae Episcopis, Tribunalibus et Institutionibus academicis praebeant indicationes utiles ad efformandos eos qui curam habent de consultatione primi et secundi gradus;

– incitare Institutiones academicas ut pergant aequo modo curriculum studiorum proponere etiam his formationis postulatis aptatum;

– ordinare denominationes tum cursuum tum diplomatum agnitionis;

– reperire formas proximas inter novas formationis rationes et cursus academicos ad titulos acquirendos, ita ut alteri haud deprimant alteros, sed potius eos incitent et foveant.

Munus praestandae institutionis operatorum apud Tribunalia ecclesiastica in primis pertinet ad eos qui sunt competentes ad conferendos gradus academicos iure requisitos pro variis officiis vel muneribus (vicarii iuidicialis, vicarii iudicialis adiuncti, iudicis, defensoris vinculi et promotoris iustitiae). Tribunalia ecclesiastica sufficientibus personis instructa habere non est supervacanei quiddam. Bonum animarum sibi vindicat altiorem formationem, quae munus est princeps institutionum academicarum.

B. Formationis itinera

Quo urgenti necessitati respondeatur habendi maiorem numerum clericorum, laicorum et religiosorum optime institutorum in Iure Canonico, etiam non (adhuc) pollentium gradu Licentiae vel Doctoratus, qui valeant subvenire paucitati personarum competentium in plurimis terrarum orbis dioecesibus, proponuntur quaedam possibilia formationis tempora.

a) *Facultates Iuris Canonici et Institutiones aequiparatae*. Praeter formationis curriculum ad Licentiam et Doctoratum in Iure Canonico, hae institutiones erectae vel approbatae a Sancta Sede possunt brevia curricula constituere vel etiam praestantiora (etiam aliquod documentum tribuendo) pro operatoribus pastoralibus, qui vocantur ad cooperandum in parte praevia processus declarationis nullitatis matrimonii, vel pro personis in ipso processu implicatis, a quibus non requiritur lege universali canonica gradus academicus, vel pro iis qui aliis in provinciis operantur, ubi Ius Canonicum implicatur. Consecutio Diplomatis constituere potest tantum rationem qua Episcopus Moderator Tribunalis a Sancta Sede dispensationem poscere possit exsequendorum officiorum, pro quibus requiritur gradus academicus Licentiae in Iure Canonico.

b) *Sectiones Iuris Canonici.* Quo supra memoratis exigentiis respondeatur, potissimum ad consulentes secundi gradus efformandos, institui potest apud Facultates Theologiae sectio Iuris Canonici, secundum normas quas haec Instructio praebet.

c) *Cathedrae Iuris Canonici.* In Facultatibus Theologiae iam exsistunt Cathedrae Iuris Canonici. Etiam apud Facultates Iurisprudentiae quae sunt in Universitatibus Catholicis possunt institui 'Cathedrae' Iuris Canonici, quae praebeant formationis curricula praecipue pro consulentibus primi gradus. Optatur ut Cathedrae Iuris Canonici, quod ad scientificam vestigationem attinet, cooperentur cum Facultatibus Iurisprudentiae civilis apud studiorum Universitates Civitatis.

Congregatio de Institutione Catholica iudicat necessarium accomodare Institutiones academicas ecclesiasticas Iuris Canonici ad novas exigentias ut praestetur qualitas professionalis et gravitas eorum qui opus navant apud Tribunalia ecclesiastica, ut praebeatur consentaneus gradus formationis iuridicae in Ecclesia. Necessitas ut praesto sint personae operantes in diversis ambitibus scientiarum canonicarum debet Episcopos incitare ut

hoc ecclesiale ministerium magni faciant atque clericos et, si fieri potest, etiam laicos mittant ad studia Iuris Canonici complenda.

Processualis reformatio, quam Papa Franciscus incohare voluit, curam potissimum intendit in bonam agendi rationem Tribunalium Ecclesiarum particularium et in qualitatem actionis, cui concreditur investigatio de bono admodum pretioso, quod attinet ad vocationem matrimonialem exercendam.

Attamen exponere oportet urgentem necessitatem ut habeantur canonistae congrue praeparati non tantum in campo matrimoniali, sed etiam in multis aliis campis vitae ecclesialis, inter quae numeratur servitium in administratione Curiarum dioecesanarum.

In universum hoc oportet memorare: ut propositum obtineatur praeparandi ac altius instituendi in disciplinis canonisticis studentes unde «ad investigationem et magisterium formentur necnon ad peculiaria munera ecclesiastica obeunda praeparentur»; [12] optiones congruae sunt inveniendae quae respondeant novis et urgentibus exigentiis. In hoc prospectu statuuntur normae quae sequuntur:

4. NORMAE

A. Principia generalia

I. Criteria de academicae formationis curriculis

Ad novis exigentiis respondendum ac sub lumine reformationis processus matrimonialis, suscipienda sunt incepta tum informationes tum formationem respicientia, inter se distincta.

Per hanc Instructionem Congregatio de Institutione Catholica adhortatur respectivas Institutiones academicas ecclesiasticas ut offerant curricula studiorum pro formatione academica canonistarum et consulentium probe excultorum.

Elementa essentialia de formationis tempore, quae inserenda sunt in definitum curriculum vel Rationem studiorum a certis competentibus institutionibus, sunt quae sequuntur:

1° criteria definita accessus, id est: titulus studiorum requisitus pro admissione ad studiorum universitatem civilem propriae Nationis vel regionis, in qua Facultas invenitur; quidam alii tituli academici, qui necessarii sunt

[12] *VG*, art. 77.

et alii requisiti obligatorii ad incohandum proprium curriculum studiorum, etiam quod pertinet ad peritiam in sermonibus tum antiquis cum modernis.[13]

2° Modus docendi ac ediscendi definiendus est iuxta *Qualifications framework* (conspectus qualificationum) Sanctae Sedis;

3° Curricula definita cum cursus descriptione secundum species et munera professionalia et peculiaria, necnon informationes de ratione, cum indicatione ECTS (congruum pondus operis singuli studentis qui est aequus ac 30 ECTS, id est unum semestre pleno tempore);

4° Examen acquisitionis quoad competentias per congrua pericula quae in curriculo describuntur;

5° Attestationes examinum;

6° Traditio Studentibus qui iter formativum perfecerunt congrui Diplomatis vel attestationis, una cum Diplomate supplementari.

II. Potestas Institutionum academicarum quoad cursus institutionis

Potestas quoad institutionem academicam canonistarum omniumque navitatem in re iudiciali exercentium (cfr artt. 9-19) et consulentium (cfr artt. 20-28) ad Institutiones congruas academicas ecclesiasticas pertinet et, salvis praescriptis pro ministris Tribunalium, ad Cathedras, si exstant, Iuris Canonici in Facultatibus Iurisprudentiae apud Universitates Catholicas.

Institutio academica, quae rationem superiorum studiorum offerre vult, mandata accipere debet a competenti auctoritate ecclesiastica (cfr artt. 29-32).

Singuli cursus studiorum ab aliqua Institutione non-academica oblati recognosci possunt, dummodo competens quaeque Institutio academica sibi asseveret apteque confirmet probatam superioris studii dignitatem.

B. Instituta academica

I. Facultates Iuris Canonici et Instituta iisdem aequiparata

ART. 1.

Facultas Iuris Canonici, Institutum *ad instar Facultatis*, Institutum *sui iuris*, Institutum aggregatum, Institutum incorporatum, quae canonice erec-

[13] Cfr *VG*, art. 32.

ta vel a Congregatione de Institutione Catholica (de Studiorum Institutis) recognita sunt, ius habent gradum academicum Licentiae et Doctoratus in Iure Canonico conferendi.

ART. 2.

Salvis normis vigentibus de Institutis aggregatis et incorporatis, Institutum aggregatum instrui debet tribus saltem docentibus stabilibus Doctoris in Iure Canonico gradu praeditis et Institutum incorporatum quattuor saltem docentibus stabilibus Doctoris in Iure Canonico gradu praeditis. Facultas Iuris Canonici et Institutum *ad instar Facultatis* non minus quinque docentium stabilium instrui debet.

II. Sectio Iuris Canonici

ART. 3.

§ 1. In Facultate Theologiae aliqua institui potest Sectio Iuris Canonici cum congruo numero docentium, quae corpus academicum est peculiarem disciplinam docendam vel exquirendam excolens et discipulis diligentius offerens auxilium personale, praesertim quod ad institutionem consulentium secundi gradus attinet.

§ 2. Erectio Sectionis Iuris Canonici, quae unum saltem docentem stabilem praeter Moderatorem habeat, Statutorum Facultatis Theologiae immutatione indiget ac pertinenti approbatione Congregationis de Institutione Catholica (de Studiorum Institutis).

ART. 4.

§ 1. Sectioni Moderator praeest.

§ 2. Moderator Sectionis esse debet docens stabilis ordinarius vel extraordinarius Iuris Canonici in Facultate Theologiae.

§ 3. Cetera requisita et ratio Moderatoris Sectionis designandi Statutis reguntur.

§ 4. Moderatoris Sectionis, virtute suetarum facultatum ei a Decano concessarum, est, ad normam Statutorum, negotia academica eiusdem Sectionis administrare, concors propositum Sectionis docentium fovere mutuamque eorum necessitudinem sive cum Facultate Theologiae sive cum academica structura Universitatis, in qua docent.

§ 5. Moderator Sectionis Decano Facultatis subiectus est eidemque de omnibus respondit, quae ad ipsius officii exercitium spectant.

Art. 5.

§ 1. Alii docentes stabiles Sectionis a Facultate Theologiae assignantur.

§ 2. Sectio habere potest congruum numerum docentium deputatorum, assistentium aliorumque cooperatorum, qui requiruntur.

§ 3. Si docens incaricatus stabiliter assumi non potest, caveatur oportet, ut satis temporis habeat ad suum curriculum curandum.

§ 4. Condicio necessaria docenti in Sectione Iuris Canonici gradus academicus est doctoratus in Iure Canonico.

§ 5. Condicio necessaria assistenti in Sectione Iuris Canonici gradus academicus est licentiae in Iure Canonico.

III. Cathedra Iuris Canonici

Art. 6.

Sub voce «Cathedra Iuris Canonici» intellegitur cursus huius diciplinae, qui a professore stabili ordinario vel saltem extraordinario absolvitur, gradu academico doctoratus in Iure Canonico exornato.

Art. 7.

In primo cyclo Facultatis Theologiae unus saltem docens stabilis requiritur ad Ius Canonicum docendum ac vestigandum.

Art. 8.

§ 1. Ius Canonicum pars deberet esse doctrinae et vestigationis etiam apud Facultatem Iurisprudentiae civilis in Universitate Catholica.

§ 2. Intra fines a legibus uniuscuiusque Status concessos, cursus Iuris Canonici inseri deberet in rationem studiorum, uti disciplina saltem ad libitum.

§ 3. Missionem canonicam a Magno Cancellario, vel ab eius delegato, accipere debent, professione fidei peracta (cfr *CIC*, can. 833, n. 7), qui disciplinas ad fidem et mores spectantes docent; non enim propria auctoritate docent, sed vi missionis ab Ecclesia acceptae.[14]

[14] *VG*, art. 27, § 1; cfr Const. Ap. *Ex corde Ecclesiae*, art. 4, § 3.

§ 4. Docentes omnes, antequam muneris stabilis collationem accipiant vel antequam ad supremum ordinem didacticum promoveantur, vel in utroque casu, prout in Statutis definiatur, declaratione «nihil obstat» Sanctae Sedis indigent.[15]

C. Programmata institutionis

I. Licentia et Doctoratus in Iure Canonico, Diploma in Iure Matrimoniali et Processuali, alii cursus academici in Iure Canonico

1. Institutio ad consequendam Licentiam et Doctoratum in Iure Canonico

ART. 9.[16]

Curriculum studiorum in Facultate Iuris Canonici complectitur:

a) primum cyclum, per biennium seu quattuor semestria protrahendum (120 ECTS), pro iis qui debita formatione philosophico-theologica carent, non exceptis iis qui gradum academicum in iure civili iam consecuti sunt; in hoc cyclo studium impenditur generalibus institutionibus iuris canonici iisque disciplinis philosophicis et theologicis quæ ad superiorem formationem canonisticam requiruntur;

b) secundum cyclum, per triennium seu sex semestria protrahendum (180 ECTS), qui altiore studio impenditur canonicae Ordinationi omnibus ex partibus praeceptorum, iurium, doctrinae ac praxis, et in primis Codicum Ecclesiae Latinae vel Ecclesiarum Orientalium per plenam tractationem eiusdem fontium sive magisterialium sive disciplinarium, addito studio affinium disciplinarum;

c) tertium cyclum, per congruam temporis periodum protrahendum, quo scientifica formatio perficitur, praesertim per dissertationem doctoralem elaborandam.

ART. 10.

§ 1. Ratio studiorum secundi cycli perscribere debet quae sint disciplinae – principales et subsidiariae – necessariae ac proinde omnibus frequentandae et quae autem liberae sint seu optionales.

[15] *VG*, art. 27, § 2; cfr Const. Ap. *Ex corde Ecclesiae*, art. 4, § 3.
[16] *VG*, art. 78.

§ 2. Si necessitates loci vel personarum id suadent, inter cursus optionales considerari potest iter, quod maiores facultates in re iudiciali studentibus suppeditet, vel alia etiam itinera, exempli gratia ad doctrinam tradendam.

ART. 11.

Ratio studiorum tertii cycli secum ferre potest ut scientificae institutionis subtilior doctrina, praeter dissertationem doctoralem, per speciale curriculum studiorum in Iurisprudentia obtineatur (saltem 60 ECTS) illis, qui ad Tribunalia ecclesiastica destinantur, vel in aliis disciplinis Iuris Canonici, iuxta necessitates Ecclesiae sive particularis sive universa.

2. Institutio ad consequendum Diploma in Iure Matrimoniali et Processuali

ART. 12.

§ 1. Facultas Iuris Canonici et Institutiones aequiparatae curriculum studiorum instruere possunt ad consequendum Diploma in Iure Matrimoniali et Processuali.

§ 2. Hoc Diploma titulus non est quemquem idoneum declarans ad officia gerenda normis canonicis ad eos reservata, qui gradum academicum Licentiae in Iure Canonico adepti sunt (scilicet vicarius iudicialis, vicarius iudicialis adiunctus, iudex, defensor vinculi et promotor iustitiae). Id constituere tantum potest titulum, quo Episcopus Moderator Tribunalis a Supremo Tribunali Signaturae Apostolicae dispensationem petere potest ad aliquem assumendum ad exercenda officia, qui Diploma obtinuit, de quo supra; quae dispensatio concedetur vel denegetur, perpensis normis canonicis, condicionibus Tribunalis et omnibus adiunctis in re (cfr *CIC*, can. 90, § 1; *CCEO*, can. 1536, § 1).

ART. 13.

§ 1. Ratio studiorum praebere debet cursum Iuris Matrimonialis et Iuris Processualis ad normam Codicis Iuris Canonici vel Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium, qui utriusque funditus pertractet fontes sive magisteriales sive disciplinares, una cum studio disciplinarum consimilium.

§ 2. Ordo studiorum amplectatur oportet *minimum*: ex Codice Iuris Canonici Librum I; Libri IV, partis I, titulum VII; Librum VII; vel ex Codice Canonum Ecclesiarum Orientalium tituli XVI, caput VII; titulos XIX-XXI,

XXIV-XXVI et XXIX-XXX; necnon alia insuper documenta de matrimonio et processibus.

§ 3. Institutio ad consequendum Diploma saltem in annum academicum funditus dicatum producitur (60 ECTS).

ART. 14.

Ratio studiorum amplecti potest alios etiam cursus cycli Licentiae in Iure Canonico ad altiorem institutionem consequendam.

ART. 15.

Pars cursuum agi potest sub specie doctrinae e longinquo traditae, dummodo Ratio studiorum a Congregatione de Institutione Catholica (de Studiorum Institutis) recognita id consideraverit ac condiciones statuerit, praesertim ad examina quod attinet.[17]

ART. 16.

Qui hanc institutionem susceperunt studia Iuris Canonici prosequi possunt, sese ad secundum cyclum adscribentes, salvo praescripto art. 9, a). Singuli crediti in antecedentibus studiis acquisiti iisdem recognoscentur.

3. Institutio ad quasdam navitates exercendas in re iudiciali.

ART. 17.

§ 1. Facultati Iuris Canonici et Institutionibus aequiparatae competit alios etiam operatores Tribunalium ecclesiasticorum instituere, quibus iure non requiritur gradus academicus Licentiae in Iure Canonico, scilicet Episcopo, instructori seu auditori, assessori, moderatori cancellariae tribunalis, notario, perito.

§ 2. Huius curriculi participatio aliquem idoneum facit ad congruas partes agendas secundum normas canonicas particulares.

ART. 18.

Ratio studiorum in hoc gradu amplectatur oportet cursum studio fundamentalium principiorum adipiscendorum iuris matrimoniali et iuris proces-

[17] *OrdVG*, art. 33, § 2.

sualis Codicis Iuris Canonici vel Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium dicatum.

Art. 19.

Ratio studiorum alios etiam cursus additicios amplecti potest.

II. Institutio consulentium

1. Consulentes primi gradus: parochi et alii in paroeciarum ambitu

Art. 20.

§ 1. Cathedrae Iuris Canonici in Facultate Theologiae et Facultate Iurisprudentiae civilis apud Universitatem Catholicam competit consulentes primi gradus instituere, quos christifideles adire possint ad auxilium spirituale et iuridicum inveniendum circa validitatem vinculi matrimonialis.

§ 2. Huius curriculi participatio aliquem idoneum facit ad congruas partes sustinendas secundum normas canonicas particulares.

Art. 21.

§ 1. Ad cavendum ut studentes primi cycli in Facultate Theologiae atque in Instituto Theologico consociato idonea scientia polleant Iuris Canonici, tempus minimum constituetur trium saltem semestrium (saltem 9 ECTS) studii Iuris Canonici, quorum unus (saltem 3 ECTS) Iuri Matrimoniali et Processuali impendetur. Pro re nata, eadem ratio adhibenda est in Instituto Theologico non consociato apud Seminarium Maius, quod scilicet gradus non concedit academicos.

§ 2. Quod ad hoc pertinet, Facultas Theologiae, Institutum Theologicum consociatum et Institutum Theologicum non consociatum oportet rationes studiorum suas temporibus aptent.

Art. 22.

§ 1. Cathedra Iuris Canonici consulentibus primi gradus cursus etiam offert ad institutionem permanentem spectantes, ut efficaciter possint consiliis suadere secundum normas Iuris Matrimonialis et Processualis.

§ 2. De cooperatione cum aliis cathedris Theologiae, curriculum alios etiam cursus additicios amplecti potest.

2. Consulentes secundi gradus: cooperatores structurae stabilis

Art. 23.

§ 1. Facultati Theologiae, in qua Sectio Iuris Canonici invenitur, nisi Facultas Iuris Canonici vel Institutum aequiparatum in eadem Universitate exstet, competit consulentes secundi gradus instituere, a quibus christifideles petere apud structuram stabilem valeant auxilium praesertim pastorale, iuridicum et psychologicum, si in laboriosis casibus coniuges versantur vel a convictu seu ab ipso coniugio discederint et auxilium quaerant ab Ecclesia.

§ 2. Quod ad eorum institutionem attinet, curriculum studiorum offertur cum Diplomate de Matrimoniali et Familiari Consulto ad subsidium consiliumque pastorale praestandum.

§ 3. Huius curriculi participatio aliquem idoneum facit ad congruas partes sustinendas secundum normas canonicas particulares. Non tamen efficit ut in albo scribatur advocatorum seu in patrocinio, salvis omnibus normis canonicis atque ordinibus universalibus, particularibus et peculiaribus, qui ascriptionem in albo et aditum ad patrocinium apud singula Tribunalia regunt.

Art. 24.

§ 1. Ratio studiorum amplectatur oportet cursus studio dicatos institutorum iuris sive matrimonialis sive processualis Codicis Iuris Canonici vel Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium, qui infra 12 ECTS non sint, necnon cursus fundamentis Theologiae Matrimonialis et Familiaris, Theologia Moralis familiaris, Spiritualitatis coniugalis et Theologiae pastoralis dicatos atque cursus institutis consecratos psycologiae sexualis et familiaris, anthropologia christiana innisae.

§ 2. Ratio studiorum alios etiam cursus additicios amplecti potest.

§ 3. Ratio studiorum commentarium etiam scriptum et examen finale curriculi amplectitur.

Art. 25.

Institutio consulentium secundi gradus saltem in annum academicum omnino dicatum producitur (60 ECTS).

ART. 26.

Pars cursuum absolvi potest sub forma doctrinae e longinquo traditae, dummodo Ratio studiorum a Congregatione de Institutione Catholica (de Studiorum Institutis) recognita id consideraverit ac condiciones statuerit, praesertim ad examina quod attinet. [18]

3. Consulentes tertii gradus: advocati

ART. 27.

Facultati Iuris Canonici et Istitutis aequiparatis competit consulentes tertii gradus instituere, advocatos scilicet, qui, in ultimis temporibus consultationis, adiuvant in causa apud competens Tribunal introducenda.

ART. 28.

§ 1. Ad instituendos advocatos, qui propter adiuncta loci gradu academico in Iure Canonico exceptionaliter carent, sed authenticam peritiam forensem acquirere debent (cfr *CIC*, can. 1483; *CCEO*, can. 1141), Facultas Iuris Canonici et Instituta aequiparata offerre possunt Diploma in Iure Matrimoniali et Processuali.

§ 2. Hoc Diploma aliquem idoneum non facit ut scribatur in albo advocatorum, quod normae canonicae plerumque reservant iis, qui gradum academicum doctoratus in Iure Canonico adepti sunt. Id potius titulus constituit, ut Episcopus Moderator Tribunalis apte perpendere valeat an candidatus *vere* sit *peritus* ac proinde inscribi possit in albo advocatorum.

§ 3. Ratio studiorum amplectatur oportet cursum studio iuris matrimonialis et iuris processualis Codicis Iuris Canonici vel Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium dicatum, qui non infra 12 ECTS sit et utriusque funditus pertractet fontes sive magisteriales sive disciplinares, una cum studio disciplinarum consimilium.

§ 4. Ordo studiorum amplectatur oportet *minimum*: ex Codice Iuris Canonici Librum I; Libri IV, partis I, titulum VII; Librum VII; vel ex Codice Canonum Ecclesiarum Orientalium tituli XVI, caput VII; titulos XIX-XXI,

[18] *OrdVG*, art. 33, § 2.

XXIV-XXVI et XXIX-XXX; necnon alia insuper documenta de Matrimonio et Processibus.

§ 5. Ratio studiorum iis, qui gradum academicum in iure civili iam adepti sunt, at institutione philosophica ac theologica carent, amplectatur oportet unum saltem cursum ecclesiologiae et theologiae sacramentariae generalis et matrimonialis.

§ 6. Ratio studiorum amplecti potest alios etiam cursus cycli Licentiae in Iure Canonico ad altiorem institutionem consequendam.

§ 7. Pars cursuum absolvi potest sub forma doctrinae e longiquo traditae, dummodo Ratio studiorum a Congregatione de Institutione Catholica (de Studiorum Institutis) recognita id consideraverit ac condiciones statuerit, praesertim ad examina quod attinet.[19]

§ 8. Institutio consulentium tertii gradus saltem in annum academicum omnino dicatum producitur (60 ECTS).

§ 9. Qui hoc curriculum susceperunt, ut consulentes tertii gradus fierent, studia Iuris Canonici prosequi possunt, sese ad cyclum Licentiae in Iure Canonico adscribentes, salvo praescripto art. 9, a), recognitisque singulis creditis in praecedentibus studiis de re canonica acquisitis.

D. Programmata permittenda

I. Licentia et Doctoratus in Iure Canonico

Art. 29.

In Universitatibus seu Facultatibus Ecclesiasticis canonice erectis vel approbatis gradus academici auctoritate Sanctae Sedis conferuntur.[20]

Art. 30.

Ratio studiorum Facultatis Iuris Canonici oportet requisita peculiaria definiat ad singulos gradus academicos adipiscendos, ratione habita praeceptorum Congregationis de Institutione Catholica (de Studiorum Institutis).[21]

[19] *OrdVG*, art. 33, § 2.
[20] *OrdVG*, art. 35.
[21] *VG*, art. 79, § 3.

II. Alii tituli, qui auctoritate Sanctae Sedis non conferuntur

Art. 31.

§ 1. Praeter gradus academicos, Facultates alios conferre possunt titulos, exempli gratia Diplomata, pro diversitate Facultatum ac Ratione studiorum singularum Facultatum.

§ 2. Ad hoc oportet ut:

1° Congregatio de Institutione Catholica (de Studiorum Institutis) « nihil obstat » dederit ad titulum quemque conferendum;

2° Congrua ratio studiorum indolem tituli statuat, diligenter explicans eum gradum non esse academicum auctoritate Sanctae Sedis collatum;

3° in eodem Diplomate declaretur titulum gradus academici auctoritate Sanctae Sedis non conferri.

§ 3. Ordo studiorum Diplomatis tempori unius saltem anni academici omnino dicati respondit (60 ECTS).

III. Institutionis curriculum cum testimonio

Art. 32.

§ 1. Si Facultas curriculum offert nullo collato titulo sive Sanctae Sedis sive sua auctoritate, testimonio scripto adseveret oportet rationem institutionis actam congruaque examina esse feliciter superata.

§ 2. Ut Institutio academica iter institutionis sicut in § 1 expositum offerre valeat, praevia eget Magni Cancellarii confirmatione, quam ipse scripto confert, certiorem de re faciens Congregationem de Institutione Catholica (de Studiorum Institutis), curriculo studiorum adiuncto.

E. Qualitas Institutorum academicorum

Art. 33.

Ad novis postulatis institutionis canonistarum variorumque consulentium respondendum, Instituta praestare debent academicam qualitatem, ut verum Ecclesiae praebeant servitium.

Art. 34.

Proinde, oportet ut:

1° Statuta quaeque ac Rationes studiorum temporibus aptentur, ecclesiasticis applicatis normis Constitutionis Apostolicae *Veritatis gaudium*

atque Ordinationum eidem adiunctorum, Decreti *Novo Codice* atque praescriptorum huius Instructionis;

2° Statuta quaeque ac Rationes studiorum debitae approbationi Sanctae Sedis subiciantur;

3° Instituta academica praesentiam asseverent congrui numeri, iure praescripti, docentium, qui munus suum plene exerceant.

ART. 35.

Conferentiae Episcoporum seu alterius Conventus Hierarcharum competentis est praesentiam (numerum et distributionem) Institutorum academicorum in aliquo territorio prospicere. Ab iisdem, ante alicuius novae Facultatis Iuris Canonici vel Instituti aequiparati erectionem vel approbationem, quae forte fiant, necnon ante alicuius Instituti aggregationem vel incorporationem cuidam Facultati Iuris Canonici, Congregatio de Institutione Catholica (de Studiorum Institutis) consilium exquirit.

ART. 36.

Cum Facultas Iuris Canonici vel Institutum aequiparatum requisitis condicionibus suae erectionis vel approbationis non satisfacit, Congregationis de Institutione Catholica (de Studiorum Institutis) est, praevia notitia ad Magnum Cancellarium et ad Decanum seu Praesidem transmissa, pro adiunctis auditoque Episcopi dioecesani vel eparchialis atque Conferentiae Episcoporum vel alterius Conventus Hierarcharum competentis iudicio, consilium inire circa suspensionem iurium academicorum, revocationem approbationis Facultatis ecclesiasticae vel Instituti aequiparati, vel ipsius Instituti suppressionem.

F. Norma finalis

ART. 37.

Facultates Iuris Canonici et Instituta aequiparata, Sectiones Iuris Canonici et Cathedrae Iuris Canonici in Facultatibus Theologiae et in Universitatibus Catholicis, quae Cathedram Iuris Canonici instituere velint in Facultate Iurisprudentiae, oportet huic Instructioni accommodentur ab initio anni academici 2019-2020.

Summus Pontifex Franciscus hanc Instructionem die 27 mensis Aprilis anno 2018 probavit atque ut publici fieret iuris iussit.

Romae, ex aedibus Congregationis de Institutione Catholica (de Studiorum Institutis), die 29 mensis Aprilis anno 2018, dominica V Paschae, in festo Sanctae Catharinae Senensis, virginis et Ecclesiae doctoris, Patronae Italiae et Europae.

Iosephus card. Versaldi
Praefectus

Angelus Vincentius Zani
Arch. tit. Volturnensis
A Secretis

ADNEXUS

Lineamenta argumentorum, quae adhiberi possunt, ad consulentes secundi gradus instituendos

Philosophia
Conspectus humanae naturae
Conspectus necessitudinis cum alio: alteritas, vicissitudo et recognitio
Scientiae sociales
Exempla familiae et societatis
Mulierum liberatio
Immutationes necessitudinum coniugalium, parentalium et familiarium
Theologia biblica
Signa nuptialia in Sacra Scriptura
Theologia dogmatica
Anthropologia theologica: creaturalitas in dialogo
Sacramentum matrimonii
Familia ut ecclesia domestica et Ecclesia uti consortium familiarum
Theologia moralis et spiritualis
Persona, necessitudo et vocatio
Primatus doni: logica gratuitatis
Ethica sexualis et affectionum necessitudinis
Acceptio novae vitae
Discretio spiritualis et moralis
Cura et adiumentum aegrotorum
Ad occasum
Ius Canonicum (saltem 12 ECTS)
Ius matrimoniale substantivum
Individuitas matrimonii naturalis et sacramenti
Proprietates matrimonii
Impedimenta
Vitia et defectus consensus
Forma canonica
Ius processuale
Tribunalia Ecclesiae
Elementa iuris processualis

Processus ad matrimonii nullitatem declarandam
Casus matrimonii solutionis
Theologia pastoralis familiaris
Sponsalia
Comparatio matrimonii
Vita coniugalis et familiaris
Aliae formae coniugii et 'familiae vulneratae'
Psychologia
Psychodynamica familiarium vinculorum
Psychotherapia coniugum et familiae
Psychologia coniugum et mores sexuales

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Sua Santità il Papa Francesco ha ricevuto in udienza:

Lunedì, 30 aprile, S.E. il Sig. Miroslav Lajčák, Presidente della 72.ma Sessione dell'Assemblea Generale delle Nazioni Unite.

Il Santo Padre ha compiuto una Visita pastorale alla Parrocchia romana di San Paolo della Croce a Corviale (Roma), il giorno 15 aprile; una Visita Pastorale ad Alessano (Lecce), nella Diocesi di Ugento-Santa Maria di Leuca, e a Molfetta (Bari) nella Diocesi di Molfetta-Ruvo-Giovinazzo-Terlizzi, nel 25.mo anniversario della morte di S.E. Mons. Tonino Bello, il giorno 20 aprile; e un Pellegrinaggio al Santuario della Madonna del Divino Amore per l'inizio del Mese Mariano, il giorno 1 maggio.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Francesco ha nominato:

7 aprile 2018 S.E.R. Mons. Paul Fitzpatrick Russel, Arcivescovo titolare di Novi, Nunzio Apostolico in Turchia e in Turkmenistan, *Nunzio Apostolico in Azerbaigian.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Francesco ha nominato o confermato:

20 marzo 2018 S. Em.za Rev.ma il Sig. Cardinale Giuseppe Versaldi, Prefetto della Congregazione per l'Educazione Cattolica, e gli Ecc.mi Monsigmori Romano Rossi, Vescovo di Civita Castellana, Orazio Francesco Piazza, Vescovo di Sessa Aurunca e Daniele Libanori, Vescovo titolare di Buruni, Ausiliare di Roma, *Membri della Congregazione delle Cause dei Santi «ad quinquennium».*

27 » » L'Ill.ma Sig.ra Elaine Fuchs, Professoressa di Biologia Cellulare presso la *Rockefeller University,* New York, N.Y. (Stati Uniti d'America), *Membro Ordinario della Pontificia Accademia delle Scienze.*

» » » I Rev.di: Sac. Sergio Paolo Bonanni, Docente di teologia presso la Pontificia Università Gregoriana, P. Manuel Jesús Arroba Conde, C.M.F., Preside dell'Istituto Utriusque Iuris delle Pontificia Università Lateranense; le Ill.me Sig.re: Dottoressa Linda Ghisoni, Sotto-Segretario del Dicastero per i Laici, la Famiglia e la Vita, Professoressa Michelina Tenace, Docente di teologia presso la Pontificia Università Gregoriana, Professoressa Laetitia Calmeyn, Docente di teologia presso il *Collège des Bernardins* a Parigi, *Consultori della Congregazione per la Dottrina della Fede «ad quinquennium».*

7 aprile » S.E.R. Mons. Filippo Iannone, Arcivescovo-Vescovo emerito di Sora-Cassino-Aquino-Pontecorvo, finora Segretario aggiunto del Pontificio Consiglio per i Testi Legislativi *Presidente del medesimo Pontificio Consiglio.*

10 » » L'Ecc.mo Mons. Anton Stres, Arcivescovo emerito di Ljubljana (Slovenia), *Consultore del Pontificio Consiglio della Cultura «ad quinquennium».*

17 » » Il Rev.do P. Luigi Sabbarese, C.S., nell'*Ufficio di Promotore di Giustizia «ad interim» del Tribunale Ecclesiastico dello Stato della Città del Vaticano «in aliud quinquennium».*

17	aprile	2018	Il Rev.do P. Luigi Sabbarese, C.S., nell'*Ufficio di Promotore di Giustizia* «*ad interim*» e nell'*Ufficio di Difensore del Vincolo del Tribunale Ecclesiastico dello Stato della Città del Vaticano* «*in aliud quinquennium*».
20	»	»	Il Rev.do Mons. Michele De Palma, *Segretario del Pontificio Comitato di Scienze storiche* «*in aliud quinquennium*».

Si rende noto che, in data 10 aprile 2018, nell'ambito del Tribunale di Prima Istanza del Vicariato di Roma, è stata nominata «*ad quinquennium*» nell'incarico di Giudice la Dott.ressa Alessandra D'Arienzo e sono stati confermati «*in aliud quinquennium*» nel'Ufficio di Giudici esterni i Rev.di Padri Orlando Manzo, B., e Luigi Sabbarese, C.S.

NECROLOGIO

9	aprile	2018	Mons. Felipe Tejeda García, M.Sp.S., Vescovo tit. di Castabala già Ausiliare di Messico (*Messico*).
14	»	»	Mons. Rinaldo Fidel Bredice, Vescovo em. di Santa Rosa (La Pampa) (*Argentina*).
17	»	»	Mons. Philibert Randriambololona, S.I., Arcivescovo em. di Fianarantsoa (*Madagascar*).
»	»	»	Mons. David Edward Foley, Vescovo em. di Birmingham (Alabama) (*Stati Uniti di America*).
19	»	»	Mons. Abraham Viruthakulangara, Arcivescovo di Nagpur (*India*).
»	»	»	Mons. Zacharias C. Jimenez, Vescovo tit. di Arba, Ausiliare em. di Butuan (*Filippine*).
24	»	»	Mons. Victor Garaygordóbil Berrizbeitia, Vescovo Prelato em. di Los Rios (*Ecuador*).
25	»	»	Mons. Hans-Reinhard Koch, Vescovo tit. di Mediana e Ausiliare em. di Erfurt (*Germania*).
26	»	»	Mons. Pierre Plateau, Arcivescovo em. di Bourges (*Francia*).
28	»	»	Mons. Ramón López Carrozas, O. de M., Vescovo em. di Bom Jesus do Gurguéia – PI (*Brasile*).